

DISPUTATIO INAUGURALIS
De
JURE FAMILIA
RITATIS,
AD
L. QUI JURE FAMILIARITATIS 41. ff. DE ACQUIR. POSS
QUAM
DEO DUCE
EX
DECRETO ET AUTORITATE
MAGNIFICI atq; NOBILISSIMI JCTO
RUM ORDINIS



PRÆSIDE
DECANO SPECTABILI
DN. SAMUELE STRYKIO
J. U. D. ET PROFESSORE ORDINAR.
PATRONO ET PROMOTORE SUO MAXIME DEI
NERANDO.
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES, PRIVILEGI
ET IMMUNITATES RITE CONSEQUENDI,
PUBLICÆ ET SOLENNI DISQUISITIONI SUBMITTIT
MARTINUS CHRISTOPH: GERDE
Guſtrov. Megapolit.
Ad diem 21. Febr. Horis ante & pomeridianis.



Francofurti cis Viadrum,
Typis EICHORNIANIS. Anno 1671.

tem conti
malum co
tu; & cr
retinend
pervacu
compar.
causam
tabilis
quir.
re inst
appar
quoti.
fori

PRÆFATIO.

Concessa mihi à Magnifico JCtorum Ordine potestate pro gradu disputandi, illam præprimis eligendā duxi materiam, quæ ad mentem Plutarchi non solum in Scholis jucunditatem, sed & in foro utilitatem contineret; fugienda potius quæ Reipublicæ nullum commodum afferunt, quam sectanda arbitratus; & cum sapientissimo Seneca, ea quæ necessaria retinenda, existimavi; ne in similem cum illis, qui supervacua & Reipublicæ inutilia, magno usu sibi comparant, incurram reprehensionem. Eam ob causam præsentem materiam, ductu potissimum notabilis L. Qui Jure familiaritatis. 41. ff. d. Acquir. v. amitt poss. *pro ingenii mei modulo, enodare institui. Et si forsan speciosa prima fronte haud apparuerit, cum nihil nisi familiaria, id est, quæ quotidie in ipsis rerum obtinent argumentis, & quæ fori conflictibus maximè frequentata, contineat:*

Hac in parte tamen Darium apud Curtium imitari libuit, qui usu necessaria potius quam specio-sa dictu sequenda monet. Eo enim præcipua studii Juris collimat intentio, ut quæ usum aliquando in Societate civili habere poterant, majori cura ac industria tractarentur. Maxima enim Jurispru-dentiæ occupatio est, Jus ad factum applicare: Ap-plicatio verò ex diversa facti qualitate variat. Un-de & familiaria quoq; facta, singularem sæpius Juris decisionem extorquent. Placuit ergo præsens de Jure Familiaritatis materia, nec usu destituta, nec in omnium libellis obvia. Hinc inde enim mihi colli-gendum fuit, quæ sparsim de materia præsenti expo-nunt Dd. Unde, si non aliò, certè hoc nomine non ingratum Tibi hoc studium erit, quod ea hic collecta videas, quæ à plurimis Dd particulatim, & in tran-situ proposita; quorum loca semper hic addere libuit, ut scias, unde hæc petierim, quorsumque Tibi, si mihi fidem habere nolis, recurrendum. Hoc tantum enixè à Te B.L. contendo, ut hunc de jure Familia-ritatis laborem, faventibus ac familiaribus oculis introspicias, & si hinc inde erravero, prout familia-ritatis jura exigunt, ignoscas. Et ita de familia-ritate Tua securus, me ad summum converto Nu-men, Deum T. r Optimum Maximum, ut huic la-bori adesse, mihique ad scopum consequendum, opitulantes ferre manus velit, supplex deveneror.

CA-

I. N. J.

CAPUT I.

GENERALIA DE JURE FAMILIARITATIS CONTINENS, EJUSDEMQ; DIVISIONEM.

SUMMARIA.

Ingressus Disputationis. 1.
Juris vocabulum explicatur remissivè. 2
Familiaritatis derivatio. 3. 10. & *seqq.*
Familiæ vox quot modis sumatur. 4. 5. & 6.
Familiares quinam dicantur? 7. 8.
Familiaris & notus quomodo differant? 9
Familiaritas unde æstimetur. 10. & *quadruplex ejus acceptio.* 11. 12. 13. & 16.
In contrahenda familiaritate quid attendendum? 14.
Familiaritas Præsidibus cum provincialibus interdicta & cur? 15.
Quænam familiaritas in l. 41. ff. d. Acq. Poss. intelligatur? 17.
Honestæ familiaritatis descriptio JCti Pauli. 18.
Amicus quis dicatur? 19.
Quomodo hic vox familiaritatis capiatur. 20
Definitio sive descriptio familiaritatis. 21
Quid veniat nomine conversationis domesticæ 22. & *amicæ.* 23.
Familiaritatis divisio triplex proponitur. 24.
Quid sit familiaritas subjectiva de jure n. 25. & *de facto.* n. 26.
Quid familiaritas naturalis? n. 27. *quid Socialis.* n. 28
Alia Baldi divisio familiaritatis, ejusque species. n. 29
Nostra divisio in Naturalem & Civilem. n. 30

Naturalis familiaritatis descriptio. *n.31. seqq.*

Sub naturali comprehenduntur emancipati & fœminæ. *n.33.*

Per communionem corporum quid indigitetur n.34. & quæ familiaritas per illam inducatur. *n.35.*

Affines certo respectu sub familiaritate naturali complectuntur. *n.36.*

Civilis familiaritatis explicatio. *n.37.*

Subdividitur ea & explicatur. *n.38.*

Familiaritas ex conversatione pro amicitia à Jctis sumitur. *n.39.*

Familiaritas ex cohabitatione. *n.40.*

Familiares Cardinalium *n.41*

Familiares qui propriè? 42

Servi & familiares sibi opponuntur. *n.43.*

Jacobi Gothofr. descriptio familiarium *n.44.*

Objicitur l.36. ff. d. Neg. Gest. *& ad illam respondetur.* 45.

Servus quando familiaris dicatur. *n.46. & 52*

Saxones quid requirant in appellatione familiarium. *n.48.*

Ut servus familiaris dicatur, an requiratur ut per 4. menses in servitio fuerit. *n.49.*

Servi moderni vi contractus familiæ adhærent *n.50*

Si de contractu & ministerio constet, non opus est lapsu quatuor mensium *n.51.*

An ad familiaritatem præcisè convictus requiratur. *n.52*

Etiam ministri extra convictum hic familiarium nomine veniunt. *n.53.*

Familiaritatis appellatio amplianda. *n.54*

FAmiliare illis est, qui materiam exponendam suscipiunt, à voce ordiri prius, quam ad rem
1. ipsam considerandam transeant. Quod cum
&

& JCti nostri à Justiniano in Corpus Juris relati, observaverint subinde, uti apparet ex *L.* 1. *pr. ff. d. J. & J. L.* 1. *§.* 1. *ff. de Tutel. L.* 1. *ff. de Furt.* adeo ut è re esse dicant, circa verborum & tituli interpretationem quædam præmisisse. L. 1. *pr. ff. de Reb. Cred.* nec mihi vertetur vitio, si circa verborum intellectum ac ambiguitatem paucis substitero, verum eorundem sensum indagaturus. Juris vocabulum ab 2.
aliis enodatum sæpius & in omnium libellis explicatum, data opera omitto, postea tamen subjecturus brevibus, quo sensu nobis veniat. Familiaritatis vo- 3.
cem quod concernit, Familiam illa agnoscit radicem. Familia vero non pro rebus accepta, quo casu res hæ- 4
reditarias denotat *tot. tit. ff. Famil. ercisc.* Sed pro personis, proprio jure plures comprehendit personas, unius potestati aut naturâ aut jure subjectas, *L.* 195. § 2. *vers. Jure proprio. ff. d V. S.* qua ratione & illi qui in servitio sunt, familiæ appellatione continentur. L. 25. §. *familiæ. ff. d. Vi & vi armat.* Bræcheus *in Comm. ad d.* L. 195. *verb. Servitium.* Petr. Rebuff. *in Comm. ad Tit. d. V. S. d. leg.* vid. locum insignem apud Cicer. *Orat. pro A. Cæcinna.* Latius seu communi jure, familiæ appellatio extenditur, ad universam cogna- 5.
tionem, comprehendens omnes personas, quæ ab ejusdem ultimi genitoris sanguine proficiscuntur. *d. L.* 195. §. 2. *in fin. d. V. S.* quo sensu capitur quoque *in L.* 1. §. 13. *ff. d. Ventr. inspic. Conf.* Johann. Jacob. Wissenb. *ad tit. d. V. S. Disp.* 39. *th.* 3. *seq.* Plures acceptiones videre licet, apud Forner. *Comm. d. V. S.* Johan. Goedd. & Alciat. *ad d. L. d. V. S.* quorsum Lectorem remit- 6
to. A Familia vero familiarium appellatio descendit, quæ æquè latè patet, ac ipsius Familiæ: Dicitur 7

enim

enim familiare vel quod familiæ seu patrifamilias subjectum, quo sensu adscriptitius familiaris dicitur, *in L. Præsenti 6. §. 5. C. de his qui ad Eccles. confug.* Pari significatione familiaris ab accusando repellitur *L. 20. qui accus. non poss.* & ita familiaria vestimenta dicuntur, quæ ad familiam vestiendam parata sunt *L. Vestis. 23. §. fin. ff. d. aur. & arg. leg.* Vel quod ad familiam latius acceptam pertinet, qua ratione familiaria sepulchra dicuntur *in L. 5. ff. d. Relig. & sumpt. fun.* & jus familiarium sepulchrorum *L. 8. C. eod.* quibus sepulchra hæreditaria opponuntur. *L. 10. C. d. tit. & d. L. 5. ff.*
8 Familiares quoque pecunias dixit Tacitus *Lib. 4. Annal. cap. 15. n. 4.* Usu vero familiarium appellatio extensa ad illos, qui amica ac frequenti conversatione eam necessitudinem invicem contraxere, ac si in eadem familia essent constituti, talis enim amicitia vim fraternitatis includit. Christoph. Besold. *Vol. 1. Cons. 16. n. 96.* Andr. Tiraquell. *ad L. si unquam. C. de Revoc. Donat. verb. libertis. n. 81.* Alberic. *de* Rosat. *ad L. Sed. & hæ. 35. ff. de Procur.* Johann. Nicol. *in addit. ad* Andr. Alciat. *Reg. 1. Præs. 28.* quo sensu capio phrasin Pontificis *in c. insinuante 25. X. de offic. & potest. Jud. deleg.* ubi Episcopus aliquem in Familiarem admisisse dicitur. Ad hos familiares Epistolas suas scripsit Cicero, quæ propterea Epistolæ familiares dicuntur, *L. fin. C. quod cum eo qui in ali: potest.* quamquam hic familiares literæ potius pro commendatitiis capiantur. Conf. *L. 5. C. Theod. d. Pact.* & ibi Jacob. Gothofr. Qua si-
9 gnificatione familiarem esse, plus est, quam notum esse. *L. 8. ff. de Castrens. pecul. conf. L. Sancimus. 22. ff. d. Pœn.* quanquam qui notus est, & amicus simul, seu cujus conversatio vel commilitium auxit charitatem,
juxta-

juxta *L.19.pr. ff. d.t.* rectè familiaris dicatur, Card.
Tusch. *Pract. concl. Lit. F. concl. 71. n.8.* ut hinc ex no-
titia & subsecuta conversatione familiaritas initium 10.
capiat. Johan. Goedd. *ad L.223. §.1. n.2. ff. d.V.S.* Le-
vis autem notitia hic non sufficit. *d.L.223.* Inde jam
quid familiaritatis vocabulum involvat, satis super-
que constabit. Dicitur enim (1) Familiaritas de illis 11
qui in eadem familia constituti, unde *in l.20. C. qui ac-
cus. non poss.* illi ab accusando repellitur, qui alterius
familiaritati vel dominio inhæserit. (2) Capitur
pro Similitudine unius rei cum alia; quo respectu 12
Imperat. Emptionem & Venditionem, cum Loca-
tione & Conductione familiaritatē habere dicit, *ut in
§. Adeo 3. Inst. d. Loc. & Cond.* secutus Gajum JCtum
in *l.2. §.1. ff. eod.* (3) Accipitur pro conjunctione illa 13
animorum, quæ ex amica conversatione & consvetu-
dine quotidiana suboritur. Et hæc ipsa familiaritas,
si honesta sit, adeo conjungit ipsos, ut quasi consan-
gvinei, imo plus quam consanguinei se æstiment.
Unde Cicero *lib.1. Offic. Sanguinis*, inquit, *conjunctio
& benevolentia devincit charitate homines: Magnum
est enim eadem habere monumenta majorum, iisdem
uti sacris, sepulchra habere communia: Sed omnium
societatum nulla est præstantior, nulla firmior, quam
cum viri boni, moribus similes sunt familiaritate con-
juncti.* Quam arctissimam ex familiaritate ortam
conjunctionem, insigni ratione subjecta ita expressit
Valer. Max. *Lib.4.c.7. Contemplemur nunc amicitiæ
vinculum, potens & prævalidum, neque ulla ex parte
sanguinis viribus inferius: Hoc etiam certius explora-
tius, quod illud nascendi fortuitum opus, hoc uniuscu-
jusque solido judicio incboata voluntas contrahit.* Ta- 14
lis

lis ergo conjunctio cum ex familiaritate oriatur, caute procedendum æstimarunt majores, ne unusquisq; in familiaritatem admitteretur, quorsum spectat vulgatum illud: *Nimia familiaritas parit contemptum.* Ex qua ratione Provinciarum Præsidibus interdictum,
15 ne in ulteriorem (vel ut alii legere malunt, interiorem) familiaritatem Provinciales admittant: Subjuncta prohibitionis ratione: Quia ex conversatione æquali contemptio dignitatis nascitur. *L.19. pr. ff. d. Offic. Præsid.* Turpe enim est amicitiarum gaudere dehonestamentis, quod in Vitellio merito reprehen-
16 dit Tacitus *Lib.2. Histor. c.87. n.4.* (4) Capitur generaliter, ut non saltem in eadem familia constitutos, sed & per amicitiam conjunctos comprehendat. Et in hac significatione Paulum JCtum loqui, æstimo, quando *in L.41. ff. d. A. v. Amit. Poss.* dicit; *qui Jure familiaritatis fundum amici ingreditur; non videtur possidere.* Hic enim non saltem de familiaritate, quæ ex conversatione amica oritur, sed & de illa, quæ ex familiæ ratione dependet, agi, plurimis & rationibus & exemplis suo loco demonstrabimus. Non enim quævis ludicra familiaritas hic attenden-
17 da; nam quæ ob sceleris communionem initur, vel ex turpi vita, compotationibus scil. & commessationibus oritur, in jure attendi ordinariè non solet. Honesta enim familiaritas attenditur hic, de qua optimè monuit Paulus *in* L.223. §.1. *ff. d. V. S.* Amicos appel-
18 landos esse, non levi notitia conjunctos, sed quibus fuerint jura cum Patrefamilias honestis familiaritatis quæsita rationibus. Quo textu ductus Goedd. *Comm.*
19 *ad d. l. n.2.* illum amicum vocat, cum quo est summa familiaritatis honestæ notitia, qua eum quis ut familiarem, ut suum habet; qua eum pietatis propè

amo-

amore & affectione amplectitur, & hic viciſſim ipſum, & ita inter quos eſt arctiſſima charitas.

Inde verò apparet facilè quo ſenſu nobis fami- 20
liaritas veniat, nimirum pari modò quo in *L.41. ff. d. A. v. A. Poſſ.* capitur, ut ſcilicet & illam quæ ex unitate familiæ, & illam quæ ex amica converſatione oritur, comprehendamus. Cùm enim potiſſimum eò mea collimet intentio, ut actus ex familiaritate ſuſceptos ponam & quid circa illos juſtum injuſtumve ſit, exponam, non aliter accipienda fuit familiaritas, ac uſurpata à Paulo JCto in allegata *l.41.* utpote ordina-
ria materiæ præſentis ſede. Deſcribo itaque famil ia- 21
ritatem, quod ſit perſonarum ex domeſtica & amica converſatione oriunda conjunctio. Domeſtica con-
verſatione comprehenſos volo illos, quos eadē domus 22
eademque familia comprehendit, inter hos enim non omnes ſanguinis communio eſt. Amica verò converſatio familiares alios benè notos & ad amicitiæ vin-
culum admiſſos complectitur; quod ergo inter hos ju- 23
ſtum injuſtumve eſt, quidve familiaritatis huj' intuitu diſpoſuere jura, id Jus familiaritatis in *d. l.41.* ipſi Paulo & nobis quoque ejus veſtigia ſecutis, dicitur.

Expediendum jam reſtat, quotuplex familiari- 24
tas ſit, & quæ ejus pro varietate perſonarum diverſitas. Triplicem verò familiaritatem communiter faciunt cum Bart. *ad L.20. §.3. ff. d. Teſtament.* (1) Subjectivam. (2) Naturalem. (3) Socialem. Subjecti-
vam iterum diſtingvunt, in ſubjectivam de jure, 25
quando in certas perſonas nobis competit jus impe-
randi: Et ſubjectivam de facto, quales ſunt familia- 26
res quos habemus in domo. Familiaritas naturalis 27
eſt, quæ eſt inter fratres, & eos qui ſunt de eodem Ca-

ſato, ſeu de eadem domo; Illa enim interdum pro familia ſumitur, ut in *l. penul. ff. d. Teſtib. & l. 10. ff. d. Alim. vel cibar. legat. & plurimis aliis.* Familiaritas
28 Socialis quæ ſit, eam non explicatam dedit Bart. *citat. loc.* Deſcribit vero eam Card. Tuſch. *Pr. Concl. lit. F. concl. 71. n. 2.* quod ſit illa, quæ eſt inter dominum & ſervitorem liberum, inter quos eſt quædam ſocietas. Verum rectius ſocialis familiaritas dicitur iſta, quæ vel ex converſatione familiari oritur, vel inter ſocios bonorum communionem habentes, exiſtit; Eſt enim inter hos quoddam fraternitatis jus. *l. 63. pr. ff. Pro Soc.* Hinc ſocietas amicitiæ ſpecies dicitur. Hector Felic. *tract. de Societ. proem. n. 10.* Ipſe Baldus *in* L. 1. *C. d. Epiſc. & Cleric. n. 4.* duplicem familiaritatem conſtituit,
29 unam poteſtativam, alteram Socialem. Per hanc quid intelligat non explicat. Illam verò iterum quadruplicem facit, ſcil; (1) Patris in filium. (2) Domini in ſervum. (3) Viri in uxorem, ratione præeminentiæ quam in ipſam habet, in coërcitione morum. (4) Domini in ſervum, qui vulgo familiaris appellatur, in quem Dominus cum familiaris talis ſit liber, parum habet poteſtatis; Quibus (5) addit Tuſch. *d. concl. 71. n. 1. in fin.* poteſtatem Magiſtri in diſcipu-
30 lum. Mihi familiaritatem in Naturalem & Civilem diſtinguere lubet. Illam voco quam ipſa natura
31 inter homines inducit; inter nos enim cognationem quandam conſtituiſſe naturam, optimè monet Florentinus JCtus, *in L. ut vim. 3. d. J. & J.* quod quidem generalius dictum ad omnes in univerſum homines extendendum, ubi quisque hominum ob connatam illam familiaritatem alteri homo eſſe debebat, non lupus. Verum hic generalior reſpectus in præſenti

mate-

materia attendi non merebatur. Hinc familiaritatem
naturalem illam appello, quam sanguinis vel corpo- 32
rum communio inter certas personas inducit; quæ eo
arctior erit, quo vicinius ad eundem stipitem acce-
dunt. Unde apparet quamvis de Jure Romano soli
agnati in familia sint, adeo ut per emancipationem
agnationis jura quondam fuerint amissa. § *quod au-* 33
tem d. Inst. d. Cap. minut. ipsa quoque fœmina familiæ
suæ caput & finis appellata fuerit. *l. 195. § fin. ff. d. V. S.*
nepotesque ejus ex familia, ab avi materni familia fue-
rint exclusi *l. 196. § 1. ff. eod.* nihilominus tamen, quan-
tum ad hanc materiam attinet, illos sub familiaritate
naturali comprehendi. Per corporis communio- 34
nem matrimoniale vinculum indigito, quod inter
conjuges existit; Duo enim hic sunt in carne una,
c. Gaudemus 8. in med. X. d. Divortio. & uxor pars cor-
poris mariti est. *Can. Admonere 8. Caus. 33. quæst. 2.*
Hoc verò naturalem inducere familiaritatem, nemò 35
facilè negabit. *arg. princ. Inst. d. P. N. G. & C.* Omnes
enim hic subest vitæ consortium, omnisque juris di-
vini pariter ac humani communicatio. *l. 1. ff. d. Rit.*
nupt. Unde & conjuges pro conjunctis personis in
jure reputantur. *L. ult. § 4. C. d. Furt.* Jacob. à Menoch.
Lib. Præsumpt. 85. n. 62. Nec affines, quamvis inter 36
eos respectus parentelæ subest, quorsum illa affinitatis
veneratio, cujus *in § 6. Inst. d. Nupt.* mentio fit, per-
tinet, ab hac naturali familiaritate excludendos puto;
Maritus enim, uti carnis unitatem cum uxore induit,
ita non potest non revereri illos à quibus sanguinem
trahit caro sua, uxor scilicet, unde generali sancito, ne
quis accederet ad carnem carnis suæ Lev. 18. interdixit
Jehova.

Civilis familiaritas illa est, quæ ex ratione civili
37 constituta: Quo refero illum Ciceronis locum *lib. 1. Offic.* *Multa sunt civibus inter se communia, forum, fana, portiones, leges, Jura, judicia, suffragia, consuetudines, præterea & familiaritates.*
38 Sed de hac generali familiaritate nobis sermo nullus. Specialis vero duplex est, vel ratione cohabitationis, vel ratione conversationis.
39 Hæc quidem rarius familiaritatis, crebrius verò amicitiæ appellatione JCtis venit, interim ab hoc loco excludenda non est, cum notanter JCtus in *l. 41. ff. d. A. vel A. P.* de eo agat, qui jure familiaritatis non domini, non patrisfamilias, sed amici fundum ingressus.
40 Ratione cohabitationis verò familiares dicuntur, vel illi, qui aliàs domestici sunt; vel communius qui in servitio vel famulitio nostro existunt.
41 Hinc familiares Cardinalium dicuntur horum servitores, quorum familiaritas ex porotulo familiarium probatur. Prosp. Farinac. *Vol. 3. Decis. 116. n. 1. seqq.* Et ita ex Dd. sententia, familiaris verè &
42 propriè dicitur, quem superior circa se & suæ cultu tenet, & continuus commensalis suæ Dom⁹ existit. *arg. l. 60. §. 1. ff. d. Legat. 3.* Castrens. *lib. 1. Cons. 341. n. 2.* Card. Tusch. *lit. F. concl. n. 2.* Huc quoque spectat id, quod ex Bald. *ad l. C. de Episcop. & Cler.* adjectum superius, scilicet communiter servum dici Familiarem. Conf. *l. 6. §. 5. C. d. His qui ad Eccles. confug.* & ibi Gothofr. *in not.* Sed hoc magis ex Doctorum opinione;
43 nam in jure servi & familiares sibi aliquando opponuntur. *l. 3. C. Theodos. Ne præter crim. Majest. l. pe-*
44 *nult. C. Just. qui accusar. non poss.* Unde observavit Jacob. Gothof. *in Comm. C. Theod. ad d. l. 3.* quod familiares ingenui fuerint, qui in domum alicujus re-

cept

cepti, itaut quasi pars familiæ reputati fuerint, quod ad servos modernos optimè applicari potest. Nec 45
obstabit huic quod in *l.36 ff. d. Negot. Gest.* monet JCtus; Servum negotia domini gerentem, non quasi amici sed quasi domini negotia gessisse intelligi, etiamsi bona fide saltem serviat; quod si ergo amicus domini non est, nec ejus familiaris dici merebitur: Respondeo enim ex antea dictis; Non omnem servum familiarem dici, nec omnem familiaritatem amicitiam involvere; quæ enim ex cohabitatione oritur, potissimum inæqualitatem præsupponit & alterius partis subjectionem. Inter hos verò amicitia propriè ita dicta non subsistit: Quanquam quid simile subesse non negem, de quo videri potest Hector Felic. *Tr. d. Societ. Proœm. n.6. & seqq.*

Antequam verò præsens finiamus caput, haud 46
abs re erit paucis adduxisse, quænam Dd. requirant, ut familiaris servus dici mereatur. Duo verò sunt illa; Servitium ut scil. quis in ministerio alicujus sit *l.2.§.14. ff. d. Vi bon. rapt.* & commensalitas seu convictus; non enim sufficit servitium alicui exhibere, si non simul ab ipso alimenta & vitæ subsidia habeat, aliàs enim potius ficti quam veri familiares dicuntur. *per text. in cap. fin. d. V. S. in 6.* Gomes. *d. Impetr. benef. per obitum familiaris Cardin. quæst.13.* Saxones id ita efferre so- 47
lent; Die in ihren Herrn Dienste und Brodte seyn: Quæ qualitas, ut in convictu domini fuerint, specialiter attendi solet in concursibus creditorum, si prioritas mercedi residuæ assignanda, uti videre est ex traditis Carpzov. *Jurispr. Forens. part.1. const.28. def.25.* Hartm. Pistor. *part.1. quæst.8. n.12.* Johan. Köpp. *Decis. quæst.28 n.14.* Ab aliis vocantur Gebrödet Ehehalten/ Die über einen Tische essen. Paul. Mathi. Wehner.

Observ. pract. voce Brodling *in fin.* Die unter eines Hauß-Gesinde/ und unter eines Brodts sind / qui à ministris non domesticis distinguuntur. Adrian. Gylman. *Symph. Camer. Tom. 4. part. 1. vot. 53. n. 18.* Aliud
49 requisitum hic superaddit Card. Tusch. *lit. F. Concl. 71. n. 7.* ut scilicet jam tum per quatuor menses in servitio steterint, in hanc sententiam citans Gomes. *d. quæst. 13. n. 3, & 31.* Verùm non existimo hoc requisi-
50 tum necessariò requiri, ut serv⁹ familiaris dici debeat. Etenim notum servos modernos liberos homines esse qui nulla alia ratione familiæ nostræ adhærent, nisi vi contractus Locationis & conductionis. Quod si ergo
51 de hoc contractu constet, & servi actu ipso ministerium nostrum susceperint, convictuque nostro fruantur, non opus erit quatuor mensium lapsu, cum aliundè constet abundè, quod in famulitio, ac ita in familiaritate nostra versentur. Nam hic familiaritas est consensus aliquis reciprocus, ut benè monet Felin.
52 *ad cap. Insinuante n. 6. X. d. Offic. Jud. deleg.* Quamvis verò id largiar facilè, ut familiaritatis jura servis applicari possint, illos in convictu nostro esse debere, cum non omnis servus sit familiaris, & ministrorum appellatio pateat latius, ac illorum qui eodem convictu nobiscum fruuntur. Gylman. *d. vot. 53. n. 12.* Attamen quoad præsentem materiam ministri extra
53 convictum nostrum constituti, non omnino familiarium appellatione excludendi, adeò, ut & ab his suscepti actus jure familiaritatis gesti præsumantur. Ali-
54 ter enim si dicerem, & liberi emancipati, & cognati à familiaritate excludendi, quod tamen vix asserere liceret, cum & consanguinei nobis cohabitantes Domesticorum & familiarium nomine veniant. Felin.

ad d. Cap. *Insinuante*. n. 7. Ex quibus omnibus apparet, non coarctandam in præsenti materia familiaritatis appellationem, sed ampliandam potius, quo act⁹ jure familiaritatis gesti, eò commodius cognosci, iisdemque jura hac de re disponentia applicari possint.

CAP. II.

DE PROBATIONE FAMILIARITATIS.

SUMMARIA.

Ingressus ad caput præsens & cum prioribus connexio. n. 1. ad 5.

Familiaritas inter consanguineos quomodo probetur? n. 6. seqq.

Familiaritas inter ascendentes & descendentes quomodo probetur? 7. 8.

Filiatio quomodo probetur? 9.

Filiationis quasi possessio probatur ex tractatione & fama & nominatione. 10. 11. 12.

Consanguinitas quomodo probetur? n. 13

Familiaritatis inter conjuges probatio. n. 14

Matrimonium probatur per testes, instrumenta dotalia, & benedictionẽ sacerdotalem. 15. 16.

An ex cohabitatione? remissivè. n. 17

Familiaritas conjugalis probatur etiam ex cohabitatione. 18

Familiaritas Civilis vel respectu servorum, vel amicorum quomodo probanda. 19. 20. 21.

Familiaritas quoad servos probatur (1) per testes, & quomodo. à n. 22 ad 26

(2) Per instrumenta familiaritas probatur. 27

Quo-

Quomodo ea confici, & quid continere debeant. n.28.29

Nuda assertio seu verba non faciunt familiarem. 30.31

(3) *Probatur per libros, in quibus familiares inscribuntur.* 32. seqq.

Matricula probat aliquem esse ex numero eorum qui immatriculati. 33

Matricula plenè non probat, nisi accedat immatriculati confessio. 34.35

(4) *Probatur ex servitiorum præstatione & conversatione cum aliis servis.* 36. seqq.

Officium faciens sciente Domino, præsumitur illi [illegible]

Ut familiaris quis sit, non opus est probare merced[illegible] n.38.39.

Familiares etiam sunt hi, qui citra mercedem famulantur. 40.41

Generalis amicitia præsumitur, nec probanda. n. 42. 43

Specialis verò probanda omnino. n. 44.

Hæc specialis familiaritas probatur per testes & unde. n. 45. 46. 47

An probata familiaritate præterita, præsens præsumatur? n.48

Jura de præterito in præsens præsumunt. n.49. 50

Deciditur quæstio negativè n.51 & 52

Ex morum mutatione, præsumitur mutatio voluntatis. n. 53

Præsens familiaritas pro- [illegible]

Judicis arbitrio relinquendum est hoc. n.55

1. ANtequam, quid circa familiaritatis actus dispo-
suerint jura, proponam, ipsius familiaritatis pro-
2. bationem præmittendam duxi. Probanda enim
prius familiaritas est, quàm de actibus & defectibus
3. familiaritatis ferri possit judicium. Cum vero

ex

ex præcedenti capite appareat, familiaritatem uniformem non esse, sed varias continere species, distinctè mihi procedendum erit, ne quæ non distinguentibus familiaris est confusio, mihi de familiaritate agenti, opponatur. Distinxi verò priori capite familiarita- 4
tem in Naturalem & civilem. Naturalem quod attinet, quam inter conjuges ac consanguineos consistere dixi, non operosus ero circa eam probandam, præsertim cùm materia hæc ubivis obvia sit. Hinc 5.
brevitatis gratiâ ad alios Dd. fusiùs hæc tractantes me saltem remittam. Familiaritas quæ inter Consan- 6
guineos est, probatur per probatam Consanguinitatem: Consanguinitas verò probanda, vel inter ascendentes & descendentes: vel inter Collaterales. Illo 7
casu probanda filiatio, quod fit, si probetur mattimonium fuisse contractum, & ex illo aliquem natum, Fulv.Pacian. *de Probat.lib.2.c.6.n.24.* Quam probatio-
nem respectu matris veram, respectu Patris conjectu- 8
ratam vocantDd. propterea, quod quoad Patrem concludenter non possit probari filiatio. Mascard. *de Probat. Vol.2. Concl.788.n.3.* illa enim ex parte genitoris difficilis est. Pruckm. *de diff. Sex.p.2. art.14.* Besold. *6.Consil.297.* Hier. de Cevallos *de cognit.per viam vio-* 9
lentiæ tom.2.qu.4.n.8.& 13. Ego tamen in sensu juris, hanc probationē veram puto, cùm is pater in jure sit, quem justæ demonstrant nuptiæ; quod præsertim in materia præsenti quoad in ducendā familiaritatē sufficit: vel probanda filiationis qs. possessio, quod fit vel 10
(1) Tractatu, si diu pro filio à parentibus fuit habitus, & à vicinis pro filio æstimatus. Mascard. *d.Vol. 2. Concl.* 11
790. (2) Famâ, cui necessariò testimonium de auditu inest, Aym. Cravetta *de Antiquit. tem.p.1. membr. ult.*

n.3. Si ab omnibus communi voce pro filio habitus.
(3) Nominatione, ſi pater ſæpius, non ſuperfunctoriè
12 ſed in ſeriis actibus eum filium nominaverit. Pacian.
d.c.6.n.32. Maſcard. *concl.791.* Menoch. *de A.J.Q. lib.2
caſ.89. per tot.* Andr. Gail.2. *Obſ.97. n. 4. ſeqq.* Dn.
Bernhard. Schultz. *ſpeciali Diſſert. de Probatione filia-
tionis anno 1670. Rintbel. babita.* qui ipſi pleniſſimè
13. hanc probationem expediunt. Conſangvinitatis
probatio peræquè expeditur; vel probato commu-
ni ſtipite, à quo ſangvinem communiter trahunt; vel
probata quaſi poſſeſſione Conſangvìnitatis vel agna-
tionis, quod quomodo fieri debeat, deductum vide à
14 Fulv. Pacian. *d probat. lib.2. c.12.* Adde Maſcard. *concl.
73.* Et quomodo illa per teſtimonium de auditu pro-
bari poſſit, vid. Excellentiſſ. Dn. Præſidem, Fautorem
ac Patronum omni cultu & obſequio à me proſequen-
dum in Tract. *de Jure Senſuum, in Diſſertat. 3. de
Auditu, cap.3. §.20. & 39.* Familiaritas inter Conju-
ges probatur probato matrimonio, hoc enim quia
facti eſt, non præſumitur. Jacob. Menoch. *l. 6. Præ-
15 ſumt.54. n.12.* Probatur verò matrimonium per te-
ſtes, per Inſtrumenta dotalia, & aliis modis, quos re-
cenſet Maſcard. *Vol. 2. concl. 1023.* Pacian. *lib. 2. cap.3.
16 n.6. ſeqq.* Probatur itidem per Benedictionem Sa-
cerdotalem; hæc verò in defectu teſtium ſufficienter
probari poteſt ex Calendario Eccleſiaſtico, ſi in illud
ipſum, tempus copulationis Sacerdotalis relatum ſit.
17 Carpz. *Juriſpr. Eccleſiaſt. lib.2. def.142. n.18.* Cæ-
terùm quamvis dubitent Dd. an ex tractatu & cohabi-
tatione matrimonium probari poſſit, cùm dubium ſit,
an pro uxore an concubinâ thori ſociam æſtimet ma-
18 ritus, de quo vid. Jacob. Menoch. *de Præſumt. lib.3. præ-
ſumpt.1. n.68. & 69.* In hac tamen materia ad fami-
lia-

liaritat. probandam ſufficiet, ſi probata cohabitatio & tractat⁹ conjugalis, ex quo ipſa familiaritas colligitur.

Familiaritas quam Civilem præcedentem 19
cap. diximus, conſideratur vel quoad Servos, famulos, aliosve familiæ noſtræ junctos; vel quoad
illos qui amicitiæ neceſſitudine nobis juncti. De 20
illa obſervandum Dd. ſtatuere; familiaritatem plenè ac concludenter eſſe probandam, præſertim ſi de alterius excluſione agatur. Joſeph. Maſcard. *de Probat. vol.2. concl.756. n.8.* Proſp. Farinac. *Deciſ. Rot. Roman. tom.2. Deciſ.584.* & ab eo citati. Verùm caſum 21
ſpecialem ſupponit Farinacius, ſi ſcil. familiaris in beneficio alteri proviſo præferri debeat; quod cùm ad noſtram intentionem parùm conducat, communes probandi familiaritatem modos proponam, prout illi à Dd. exhibentur, quanquam fatear, allegandos Dd. loqui de probatione familiaritatis ad effectum beneficiorum familiaribus collatorum. Vid. Menoch. *de A.J.Q.lib.2.caſ.201.n 111.ſeqq.* Cùm tamen non planè aliena à meo ſcopo ſint, præterire hos modos nolui.

Probatur itaque aliquem eſſe familiarem
vel in ſervitio alterius (1) per teſtes; quæ e- 22
nim ſenſibus percipi poſſunt, illa per teſtes quoque
legitimè probantur. Ex ſenſibus enim deſumta 23
ſcientiæ ratio in teſte valida eſt. Excellentiſſ. Dn. Præ-
ſes *d. Tract. de Jure Senſuum proœm. num.28.ſq.* Act⁹ 24
enim familiaritatis in ſenſus incurrunt, non tamen excluſo intellectus judicio reſpectu teſtis deponentis. Farinac. *Deciſ. Rot. Roman. tom.4. Deciſ. 711. num. 9.* Sed cùm familiaritas ordinariè à poſteriori ſaltem à
teſtibus percipiatur, ratio dicti ab ipſo addenda, quare 25
& à quibus actibus ipſum familiarem miniſtrumve al-

terius æstimet. Farinac. *d. Decis. 711.* Lodovic. Post. *Tract. de Mandat. Manutenent. Decis. 24. num. 7.*
26 (2) Probatur per Instrumentum, quia enim familiares & servi moderni, per contractum locationis conductionis constituuntur; si instrumentum desuper confectum, exinde probatio desumi potest. Instrumenta
27 enim vim probandi plenam habent, si super negotio aliquo legitimè confecta, *tot. tit. ff. de fid. Instrum.*
28 Hoc verò requiritur, ut Instrumentum utriusque nomine sit confectum, scil: ipsius Domini & servitoris; si enim Instrumentum unilaterale, non sufficit: Nam mutuum hic geritur negotium, mutuo consensu con-
29 stans. Hinc benè Farinac. *d. Decis. 711. num. 7.* monet: si familiaritas probanda, debere concurrere mentem Domini, consensum familiaris & præstationem expensarum: Hæc ergò in Instrumento illo exprimi debent. Unde familiaritatis jura non tri-
30 buuntur illis, qui habent literas familiaritatis Cardinalium; si non sint veri familiares. Prosp. Farinac. *tom. 3. Decis. 265. num. 3* Hinc nec assertio ipsius Pontificis sufficit, aliquem esse suum familiarem, si non
31 ipsius familiaris assertio accedat, Mascard. *de Probat. concl. 756. num. 12.*
32 (3) Probantur per libros illos, quibus familiares à Domino inscribi solent. Matricula enim familiarium probat familiaritatem. Jacob. Menoch. *de Præsumt. lib. 2. Præsumt. 78. n. 3.* Farinac. *tom.*
33 *2. Decis. 584. num. 6.* Paris. *lib. 4. Cons. 136. num. 31.* Cum matricula probet, aliquem esse ex numero eorum, qui matriculari debent. Bartol. in *l. petitionem. de*
34 *Advoc. divers. Jud.* Verùm ad ejusmodi matriculam, confessionem familiaris concurrere debere, puto: Uti enim Instrumentum pro una parte confe-

fectum non sufficit, ita nec talis matricula à Domino privato confecta studio. Unde agnoscit hoc Farinac. *d. Decis. 384. num. 11.* dicens: Ejusmodi librum vel Rotulum non quidem sufficere ad plenam probationem, oriri tamen exinde magnam præsumtionem, quæ junctis adminiculis plenè probet. 35

(4) Probatur ex ipsa servitiorum præstatione, & cum aliis servis conversatione. Colligitur enim exinde, aliquem esse alicujus familiarem, vel de familia ipsius, si aliis famulis associatus sit, & in illo servitio serviat. Hippol. Bonacoss. *Tract. de Serv. vel famul. quæst. 4. num. 3.* quamvis nulla scriptura de hoc appareat. Mascard. *Vol. 2. Cons. 757. num. 1.* Bartol. *in l. 1. §. familiæ. n. 5. ff. de Publican. & Vectigal.* Petr. Rebuff. *in Comm. tit. de V. S. ad l. 195. §. 3. & ab eo citat. LL. & Autor.* Ex eo enim quod quis officium exercuit Domino sciente, à Domino illi præpositum fuisse præsumitur, *L. 1. §. Magistrum. ff. de Exercit. Act.* 36 37

Sed numne probandum erit, ministrum vel familiarem certam mercedem à Domino constitutam habere? Ita videtur, cum ex Dd. Sententia expensis Domini ali debeat, nam illa vera familiaritas dicitur, quæ corpore & dentibus fit. Mascard. *concl. 756. num 2.* Flamin. Paris. *de resignat. beneficior. lib. 10. tom. 11. qu. 3. num. 22.* Non tamen puto, quoad nostram materiam, mercedis constitutionem esse necessariam; sed sufficit aliquem inter familiares à Domino haberi, aut aliquem in familia Domini versari, & semet pro familiari gerere. Notum enim est, sæpius sine certa mercede quosdã in familia constitutos esse, so auff Gnade dienen/ quibus postea Dominus, quantum libuerit, solvere potest, de quo ministerio 38 39 40

vid. B. Dn. Mevium *in Comm. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 7. n. 18. sqq.* Hi tamen familiarium nomine sine dubio veniunt, quamdiu à Domino non recedunt.

Hæc ipsa de familiaritate domestica probanda
41 sufficiunt: Restat, ut subjiciamus, quomodo familiaritas illa per amicam conversationem contracta, pro-
42 betur. Nunc quidem probánda videtur amicitia, cùm in genere inter homines quandam cognationem constituerit natura, *L. ut Vim. 3. ff. de Just. & Jur.*
43 Unde inter omnes amicitia præsumitur. Mascard. *de Probat. vol.* 1. *Concl. 85. num. 4.* Verùm cùm hæc generalis amicitia ob corruptam hominum indolem sæpiùs deliquium patiatur, insuperque eadem non mox familiaritatem seu arctiorem amicitiam inducat, & hinc ad scopum nostrum parùm conferat, eam mis-
44 sam facimus, & specialem illam amicitiam seu familiaritatem probandam esse dicimus; Unde monet Mascard. *d. concl. 85. num. 3.* ex Hippol. de Marsil. *lib. 2. cons. 24. num. 14.* quòd singularis illa amicitia sit qualitas, quæ foras ex conversatione familiari scil. emi-
45 neat, hinc non præsumitur, nisi probetur.

Probatur verò familiaritas, per testes de conversatione familiari deponentes. Nec levis conjectura est, si
46 sæpius eodem convictu utantur, vel si ex eàdem patriâ sint, super quibus punctis speciales articuli formari solent. Francisc. Curt. *Tr. de Testib.* Testis enim deponens aliquem esse socium vel familiarem debet deponere de actibus socialibus vel familiaritatis. Prosp.
47 Farinac. *tom. 4. Decis. 111. num. 8.* Pari ratione colligitur familiaris amicitia ex quotidiana consuetudine. Mascard. *d. concl. 85. num. 5.* præsertim si super rebus honestis & licitis illa consuetudo intercedat. Mascard. *d. con-*

d. concl. n.10. Honesta enim familiaritatis ratio subesse debet per *l. 223 §.1. ff. de V. S.* cum illa bonæ vitæ testis sit, *c.3. Dist.63.* Nec enim rerum inhonestarum illa de jure subsistit societas, *L. nec permittendum 57. ff. pro Soc.* Sed delictorum potius turpis atque fœda censetur communio. *L. quod autem. 53. ff. eod.* Senec. *lib.2. de Benefic. cap. 14.*

Quæritur verò eâ occasione: An si testis depo- 48
nant de familiaritate præteritâ quòd antea semper fuerint familiares amici, an ita probent familiaritatem præsentem? Ita quidem videtur, cùm jura nostra de præterito in præsens præsumant, L. *non omnes.* 49
§. à Barbaris. 6. ff. de re milit. c. semel malus. 6. de Reg. Jur. in 6. Carpz. *part.1 Const.29. def. 8. num. 7.* Unde concludit Farinac. *Decis. Rot. Roman. tom.2. Decis. 645. num.4.* Familiaritatem probatam tempore reservatæ pensionis, præsumi durare, nisi contrarium probetur. 50
Insuper quia familiaritas in animo & voluntate radicata, non præsumitur familiaritas desiisse, præsertim cùm ipsa voluntatis mutatio non præsumatur, sed probanda per *L. eam. 22. ff. de Probat.* Verùm cùm 51
amicitia, tanquam res accidentaliter proveniens, de facili varietur, atque tollatur, uti ex L. *sin confirmando. 8. in fin. ff. de confirm. tut.* observat Angel. de Perus. *Tract. de Testib. num.3.* Ipsi quoque mores, quibus 52
conservanda familiaritas, mutentur sæpius, emergente illorum improbitate antea celatâ *d. l. 8. ff. de confirm. tut.* Ex morum verò mutatione etiam voluntatis mu- 53
tatio præsumitur. Jac. Menoch. *lib.6. Præsumt.37. n. 37.* ut adeò inter præteritū & præsens hoc casu nulla certa connexio detur, non sufficiet præterita familiaritatis probatio: Sed si quis in præsenti familiaritate se 54
fun-

fundet, illam in ſpecie probare debet; cúm jura unumquemvis adſtringant, ad fundamentum ſuæ intentionis probandum, nec per incertam præſumtionem liberetur. Fulv. Pacian. *de Probat. lib. 1. cap. 46. n. 28.*
55 *& ſqq.* Cætera quæ circa familiaritatis probationem attendenda, prudentis Judicis commiſſa ſint arbitrio, qui ex perſonarum qualitate & converſationis familiaris modo, facile determinabit, an familiaritas eousque probata, ut actus ab altero geſtus, jure familiaritatis geſtus dici poſſit, quæ ipſa actus qualitas ex cap. ſubſeqv: uberius apparebit.

CAP. III.

De

PRÆSUMTIONE ACTUUM FAMILIARITATIS.

SUMMARIA.

Connexio cum præced. n. 1
In probandis actibus familiaritatis jure geſtis, præſumptionibus militandum. n. 2
An per teſtes probentur & quomodo? n. 3
Probata familiaritate, actus jure familiaritatis geſtus præſumitur. n. 4. 5
Præſumptio hæc quando obtineat. n. 6
Familiaritatis cauſa præſumitur ſemper, deficientibus aliis. n. 7
Uno poſſidente, altero titulum habente, jure familiaritatis poſſidere præſumitur. n. 8
Quod maxime obtinet inter perſonas cognatas. n. 9. 10
Negotia à filio & Patre geſta, præſumuntur jure fami-

ritatis non operatur idem ac in aliis juribus. n. 44

Non in damnum alterius extendendum quod amico permittitur animo. n. 45.

1 PRæmiſſis præcedente capite illis, quæ ad ſimplicem familiaritatis probationem ſpectabant, jam ad actus ipſos ob familiaritatem geſtos, transeundum. Hi ipſi vero actus ſpecialem conſiderationem merentur, cum non omnis familiaris actum jure familiaritatis ſuſcipiat, ſed & proprio jure, & in ſui gratiam eum gerere poſſit. Unde non ſimpliciter loquitur JCtus in *L. 41. ff. d. Acquir. vel amit. Poſſ.* qui amici fundum ingreditur; quo ipſo duplex hoc requiſitum indigitat: (1) Ut amicus vel familiaris ſit ille, cujus negotium geritur. (2) ut jure vel intuitu familiaritatis idem ſuſcipiatur. Probata itaque familiaritàte ipſa in præcedentibus, jam videndum
2. quando actus jure familiaritatis geſtus præſumatur vel non. Præſumptionibus verò hic tantum militandum, cum, an animo familiari quid geſtum ſit, evidentibus probationibus declarari vix poſſit. Quod ſi tamen ſuper circumſtantiis fortè, & inde derivata
3. conjectura familiaritatis producendi teſtes, & hi teſtes propterea de poſſeſſione alterius jure familiaritatis deponant, non probant, niſi cauſam ſuæ ſcientiæ reddant, cum de tali re deponant, quæ in ſenſum corporis non cadit. Ludov. Poſtius *Tr. de Mand. Manutenent. Dec. 419. n. 3.* Videbimus itaq; quando actus aliquis jure familiaritatis geſtus præſumatur; & quando non; ubi potiſſimum in materia poſſeſſionis, in

qua

qua præcipuum usum familiaritatis jura habent, subsistemus.

Generaliter verò præmitto: Si familiaritas ea ratione probata, uti in cap. præcedente dixi, in dubio, 4
quicquid in re alterius facit, censetur fecisse jure familiaritatis. Johan. Petr. Surdus. *Dec.177.n.3.* Innocent. *in c.bonæ memoriæ post pr.4.X.d.Postul.prælat.* Imò magis jure familiaritatis, quam jure proprio. Casp. Klock. *Tom.1. conf.29.n.561.* Carol. Ruin. *lib.1. Cons.34. n.13.* Menoch. *d.Arb.Jud. Quæst.lib.2.cas.160.n.15.* Et 5
in dubio possessio & ingressus factus in bonis amici seu conjuncti, præsumitur jure familiaritatis. Card. Tusch. *Pract. Concl. lit.*P. *Concl.411. n.2.* Ludov. Post. *de Manuten.Observ.54.n.9.* Nam qui utitur jure alterius, vel re aliena, probare debet, se usum esse tanquã jure proprio & sibi debito, ut sibi acquirat, alioqui videtur usus jure familiaritatis. Mascard. *de Prob.vol.3.Concl.1104.n.11.* Et hæc præsumptio tunc potissimum obtinet, si jure 6
proprio subsistere non possit possessio; Hac ratione enim vitiosa foret ipsius familiaris possessio, imò delicto conjuncta, si citra titulum ac aliam possidendi causam, jure proprio fundum fuisset ingressus: Jam verò præsumptio familiaritatis locum habebit, ad excludendum delictum, ne titulum non habens, videatur alienum occupasse. Tusch. *d. Concl.411.n.1.& 9.* Post. *d. Observ.54.n.13.& Dec.206.n.11.* Hinc toties fami- 7
liaritatis causa præsumitur, quoties alia non apparet. *Magnificus ac Consultissimus Dn.* Brunnemannus *Vir. pietate & doctrina singulari incomparabilis, Fautor ac Patronus meus summoperè devenerandus. Comm.ff. ad l.41.ff.d.Acquir. Poss.n.6.* Menoch. *d.A.J.Q.lib.2.cas.*

 160.

160. n. 20. Manz. *cent. Decis. Q. 28. n. 24.* Valasc. *Tom. 2. Consult. 180. n. 7.* Post. *d. Obs. 54. n. 10.* Ex quo Dd.
8 ulterius præsumunt: Si unus titulum habeat, alter verò possideat, jure familiaritatis præsumatur possidere, vel actus possessorios exercere. Joh. Meichsner. *Dec. Cam. Imp. Tom. 3. Decis. 13. n. 179.* Stephan. Gratian. *Discept.* Forens. *c. 450. n. 5. & seq.* Postius *d. Observ. 54. n. 12.* quæ tamen præsumptio præsupponit, constare debere de familiaritate illius, qui titulum habet, &
9 qui est in possessione: Unde & Surdus *Cons. 260. n. 7. & seqq.* illam præsumptionem maximè procedere dicit, stante affinitate, vel si res inter fratres agatur, inter quos facilius familiaritatis præsumptio inducitur. Hinc Dd. unanimiter tradunt, quod si duo ha-
10 bitent simul, puta si filius cum matre, vel mater cum filio, vel duo amici, fratres, affines, vel consangvinei morentur in una domo, & unus horum titulum habeat alter non; tunc ille qui titulum non habet, se domo non sua, sed potiùs jure familiaritatis & propinquitatis usum fuisse, præsumatur. Socin. *Sen. Cons. 61. n. 4. & 7. Vol. 1. & Cons. 13. n. 17.* Adrian. Gylm. *Symph. Cam. Tom. 1. p. 1. Tit. 7. Vot. 6. n. 143 circ. fin.*

11 Præmissis generalibus hisce circa familiaritatis præsumptionem, certas jam personas subnectam, inter quas actus gesti, vel possessio acquisita jure familiaritatis præsumitur. Sic (1) Filius negotia Patris gerens, eadem familiaritatis jure gessisse præsumitur, hinc Procurator à Patre non censetur constitutus. Jacob. Menoch. *d. A. J. Q. lib 2. cas. 160. n. 16. Ruin. Cons. 161. n. 4.* Stephan. Gratian. *discept. For. cap. 450. n. 3. & 4. & ibi ab eo. citati authores.* Quod & in posses-

sione

ſione bonorum paternorum procedit, cum filius talia bona jure familiaritatis & conſanguinitatis ſaltem à Patre teneat. Jaſon & Alexand. *ad d. l. qui Jure familiaritatis.* Menoch. *remed. 3. Retinendæ n. 506.* Quod reci- 12
proco jure & in Patre obtinere poteſt, cum & ille bona filii, non ſuo ſed familiaritatis jure poſſidere credatur, Andr. Tiraquell. *Tr. Le mort ſaiſit le vif. Part. 3. Declar. 6.* (2) Obtinet præſumta poſſeſſio fami-
liaritatis, inter matrem & filium. Non enim aliter in 13
bonis filii mater verſari præſumitur, quam jure familiaritatis; Quod quoque procedit, ſi mater filio certa bona donaſſet, ſub pacto reverſivo, poſt donationem illa bona poſſidere dicatur jure familiaritatis, usque ad donationis reſolutionem. Ludov. Poſt. *de Manut. Deciſ. 216. n. 13.* Pari ratione filius, qui fun- 14
dum matris poſſidet, & exinde fructus colligit, id jure familiaritatis feciſſe præſumitur. Joſeph: Maſcard: *de Prob: Vol. 3. Concl. 1189. n. 8.* Bart. *in l. qui Jure Familiaritatis ff. de Acquir. Poſſ.* (3) Præſumitur poſſeſſio ju-
re familiaritatis inter conjuges. Hinc uxor bona 15
mariti jure familiaritatis poſſidere dicitur, non nomine proprio, Menoch. *d. caſ. 160. n. 14.* Ludov. Poſt. *d. Obſerv. 54. n. 17.* Cardin. Tuſch. *Pr. Concl. lit. P. Concl. 411. n. 5.* Erneſt. Cothman. *Vol. 5. Conſ. 6. n. 34. & 35.* Stephan. Gratian. *Diſcept. Forenſ. cap. 450. n. 2.* Dum enim ob vinculum conjugale, jure familiaritatis in mariti ædibus degit, nullam poſſeſſionem veram ſibi arrogare poteſt. B. Dn. Mev. P. 5. *Deciſ. 353. n. 1.* Sed an hæc uxoris poſſeſſio etiam poſt mortem mariti adhuc jure familiaritatis dicenda ſit, an vero ita in propriam immutetur, inferius ſuo loco proponam. Viceverſa

maritus bona uxoris jure familiaritatis possidere præsumitur. Tusch. *d. Concl.* 411. *n.* 10. quod tamen an universaliter intelligendum, capite sequente videbo.
16 (4) Extenditur hæc præsumptio ad Vitricum. Hic enim in bona defuncti inductus, non censetur possessor bonorum defuncti, sed tantum jure familiaritatis uti, quatenus cohabitat uxori in illis adhuc degenti. Magnificus Dn. Brunnem. *Com. ff. ad L.* 41. *ff. de Acquir. vel amitt. Poss. n.* 4. Pessimi enim exempli, imo iniqvum valdè foret, hoc indulgere vitrico, ut possessor habeatur bonorum, quæ antecessor liberis in hæreditatem reliquit, & ut contra hos ex ista contendere valeat, his ideo, quia corpore non tenent, à possessione exclusis, uti optimè monet B. Dn. Mevius. *Part.* 4. *Decis.* 392. *n.* 12. (5) Familiaris possessio præsumitur
17 inter fratres. Jacob. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 76. *n.* 12. Hinc frater bona fratris administrando, inde sibi nullum jus quæsivit, cum jure familiaritatis administrasse censeatur. Mascard: *d. Probat. vol* 3. *Concl.* 1189. *n.* 8. Menoch: *d. A. J. Q. d. cas.* 160. *n:* 15: Card: Ruin: *vol:* 1: *Cons:* 34: *n:* 13: Andr: Knichen *d. Jur. territor. cap.* 4, *n.* 25. Klock: *Tom.* 1. *cons.* 29. *n.* 562.
18 Unde fratre seniore primogenituram habente, licet cæteri fratres cum eo possideant, tamē dicuntur possidere jure familiaritatis. Petr: Rebuff: *ad consvet. Regn: Gall: Tract: de Remed: possessor: præfat: n.* 172. Mascard: *d. Probat: Concl:* 1204. *n.* 10. Card: Tusch: *d. Concl:* 411.
19 *n.* 9: (6) Jus familiaritatis præsumitur inter Socios, inter quos quoddam confraternitatis jus subesse dicitur, *in L:* 63: *pr: ff: pro Soc:* Hi ipsi vero Socii aut sunt omnium bonorum, quo casu jure familiaritatis non pos-

poſſidere videntur, ob commune ac æquale jus quod
uterque vi ſocietatis in bonis communibus habet; ſi
tamen unus ſocius prætendere vellet poſſeſſionem
omnium bonorum, ipſi obſtaret adminiſtratio jure
familiaritatis facta. Maſcard: *d. Concl: 1104. n. 14. ſeq:*
Bona communia enim Socius tantum pro rata ſua 20
poſſidere dicitur. Roderi Svarez *in declar: tit. des les
Herencias l.3. foro legum n.8. verſ. Itaque rem Commu-
nem poſſidens.* Reſpectu vero portionis Socii dicitur
poſſidere jure familiaritatis. Gylman. *Symphor. Camer.
Tom.1. Part.1. Tit.7. Vot.6. n.72.* Aut ſunt Socii particula- 21
res, qui ipſi ſi præter bona communia alia quoq; ab in-
vicem poſſideant, jure familiaritatis poſſidere intel-
liguntur. Unde concludunt Dd. ſi duo fratres
vivant in Societate, & unus acquirat nomine ſuo pro-
prio, licet alter etiam percipiat fructus rei emptæ per
fratrem, cenſetur hoc jure familiaritatis facere, cum
alter ſolus titulum habeat, ut hinc ex tali perceptione
fructuum poſſesſio non transferatur, nec inde ſocie-
tas quoad proprietatem inducatur. Cardin: Tuſch: *d.
Concl. 411. n. 12.* Alexand: *lib: 7. Conſ. 152. n. 3.* Pari 22
modo ſi unus Sociorum ſolus adminiſtravit longo
tempore, non acquirit inde quaſi poſſesſionem, cum
jure familiaritatis ac amicitiæ adminiſtraſſe cenſeatur.
Petr: Rebuff: *d. mater: Poſſes: præfat: n.173.* 23

In cæteris familiaribus, quin idem obtineat
non dubito; hinc ſupervacaneum æſtimo, ſingulas
adduxiſſe ſpecies. Potius Regulam ſuperius forma-
tam repetimus: Familiarem in bonis alterius fami-
liaris actum ſuſcipientem, præſumi illum ſuſcipere
jure familiaritatis; vel magis jure familiaritatis,
quàm jure proprio. Verum

Verum cum hîc res præsumptionibus agatur,
24 quæ perpetuæ non sunt, sed hinc inde deliquium patiuntur, è re præsentis materiæ erit, contrarias conjecturas jam subnectere, quando quis non præsumatur Jure familiaritatis actum exercuisse; cum non semper familiaris quicquid agit, animo familiari agat, sed propria sæpius sectetur commoda.

25 Cessat ergo (1) familiaritatis præsumptio, si possessor ipse titulum habeat. Communiter enim concludunt Dd. quod non jure familiaritatis, sed jure proprio possidere præsumatur, qui titulum habet, Post. *de Manuten: Obs:* 54. *n.*21. Andr: Knich: *de Jure territor: cap.* 4. *n.*25. *in fin:* Menoch: *d. Arbit: J. Q. lib.* 2. *cas.* 160. *n.* 20. *& lib.*6. *præsumpt.* 76. *n.*13. Casp: Klock: *Vol.*1. *Cons.*29. *n.*571. Mascard: *de Prob. Concl.* 1204. *num.*6. Wesenbec: *Cons.* 2. *n.* 79. Roland: à Valle: *Vol.* 3. *Consil.* 46. *n.* 44. Nec dicitur jure familiaritatis possidere, ad quem res possessa jure dominii spectat, vel ex titulo hæreditario universali. Joh: Meichs: *Decis. Cam. Imper. Tom.* 3.
26 *Decis.* 13. *n.*68. Unusquisque enim suo jure uti præsumitur potius, quam alieno. Verùm hic hoc dubium emergit; quod omnis possessor in dubio semper potius præsumatur nomine proprio, quam alieno possidere, Roland. a Vall. *Cons.* 9. *n.*39. *vol.*3. Paris. *Cons.* 75. *n.*5. *vol.*4. Francisc. Curt. Jun. *Cons.*168. *n.* 33. Socin. Sen. *Cons.* 13. *n.*17. *&* 27. *Vol:* 4. Adrian: Gylman: *Symph: Cam: Tom:* 1. *part:* 1. *tit:* 7. *Vot:* 6. *n.*65. *circ: med:* adeo ut asserenti contrarium, incumbat onus probandi, quod prolixè deducit Mascard: *de Probat: d. Concl:* 1204: *n.* 1. *seqq:* quo præsupposito falsum erit, quod superius dictum; Possessorem rei alienæ

magis

magis familiaritatis, quam proprio jure possidere præsumi; Sed nulla hic contrarietas: Non enim dixi omnem possessorem jure familiaritatis possidere præsumi; Sed illum, de cujus familiaritate jam antea constat, & de cujus speciali jure vel titulo non apparet. Nunquam enim aliter quis creditur jure familiaritatis possedisse, quam si aliud jus vel titulus non possit excogitari. Meichsn. *d. Tom.3. Decis.33. n.15.* Nevizan. *Cons. 80. n. 21.* Nec hic excipere licet: Omnem possessorem ex titulo præambulo præsumi possidere, juxta Menoch. *lib.6. Præsumpt. 67. n.1. & ab ipso citatos.* Nam & hoc pari modo restringendum, nisi quis in amici fundo versetur; Vel si de titulo jam antea constet; sic enim magis ex hoc titulo, quam jure familiaritatis possidere censetur. Hinc rectè hoc limitat Mascard. *de Prob. d. Concl.1104. n.6.* quod possessio jure proprio tunc procedat, si exstet causa, qua quis verisimiliter jure proprio possidere possit. *Add.* Angel. *in L. Assiduis. 12. sub n.1. vers. mulier possidet C. qui pot. in pignor.* Tunc enim jure suo vel proprio quis possidere censetur, si sua potestate autoritate & facultate, i. e. ex jure sibi competente possideat. Petr. Rebuff. *in Constit. Reg. Gall: de Mater. posses. præf. n.167.*

27 28 29 30

(2) Cessat hæc præsumpta jure familiaritatis possessio, si possessor saltem æqualem titulum habeat; nam & sic vi sui tituli & non jure familiaritatis possidere præsumitur. Hinc si frater in alterius fratris bonis commoretur, ad quæ ipse æqualem habet titulum, uterque dominii non mutuo familiaritatis jure, possidere censetur. Andr. Knich. *de Jure territ. cap.4. n. 26.* Quod ipsum eousque extenditur, ut si duo in possessione sint, nec magis appareat de jure unius 31

quam alterius, neuter eorum jure familiaritatis possidere præsumatur. Ludov. Post. *d. Manuten. Dec. 419. n. 4* Alexand. *ad L. qui jure familiaritatis. n. 5. ff. d. A. v. A. P.* dum enim possessio utriusque æque dubia vel æque justa, non inæquali præsumptione judicandum, nisi alter potius jus præ alio docuerit.

32 (3) Cessat præsumptio familiaritatis etiam in illo qui titulum saltem invalidum, vel putativum habet, ex communi Dd. sententia, Mascard. *de Prob. concl. 1189. n. 10.* Post. *de Manuten. Obs 23. n. 24. & Obs. 54. n. 21.* Cephal. *Vol. 1. Cons. 4. n. 39.* Gratian. *Discept. forens. c. 450. n. 13. & 14.* Ratio in eo fundata; quia ut quis jure
33 familiaritatis fundum ingrediatur, id ex animo dependet, an sc. intuitu familiaritatis id faciat: Quod si verò ipse putet, se titulum haberè proprium, quamvis opinione sua decipiatur, eoipso tamen non animo familiari utitur, dum aliud intendit, sed ob titulum putativum sibi potius acquirere voluit. Titulus enim, quantumcunque sit erroneus, ostendit intentionem possidentis, Meichsn. *Tom. 3. Decis. 13. n. 68.* Menoch. *lib. 6. Præsumpt. 67. n 8.* Bart. *in* L. *fideicommissa.* §. *quoties ff. d. Legat.* 1. Mascard. *Concl. 1203 n. 26.* Nec obest,
34 quod superius dictum, eum qui titulum non habet, præsumi jure familiaritatis possidere, ut excludatur delictum; Jam vero idem est, titulum inhabilem habere, ac nullum; Ex qua ratione etiam August. Bero: *Vol. 3 Cons. 69. n. 7.* quem adducit Mascard. *d. concl. 1203. n. 22.* statuit, quod tunc quis præsumatur, ex causà præcedente possidere, quoties illa causa est habilis & valida. Nam hoc facilè concedimus, in
35 effectu nihil prodesse possessionem ex titulo invalido occu-

occupatum, & perinde esse ac si ex titulo nullo occupata: nec ex tali titulo datur manutentio, sed cognoscendum super titulo & petitorio. Stephan. Gratian. *Discept.* Forens. *cap. 450. n. 41. & ibi ab eo allegat. author.* Cum semper actus dubii excludant quasi possessionem. Butr: *in cap. fin de Caus. poss. & propr.* Quo- 36
ad intentionem tamen occupantis multum interest. Qui enim titulum invalidum habet, quem validum putat, fraudis expers est, & ita ab eo delictum excluditur; quod tamen secus est in illo, qui nullum titulum se habere novit, & nihilominus possessionem invadit; pro hoc enim potius ex familiaritatis jure præsumendum, quam ut delicti reus efficiatur. Adrian. Gylm. *Symph. Cam. Tom. 1. part.* 1. *tit. 7. Vot. 6. n. 34.* 37
(4) Cessat possessionis familiaris præsumptio, si quis verbis contrarium animum declaraverit. Casp. Klock. *Vol.* 1. *Cons. 29. n. 568.* vel si is qui actum facit, declaraverit, se illum facere jure suo, non jure familiaritatis, Petr. Rebuff. *ad Constit. Reg. Gall. d. Mat. posses. præf. n. 186.* Alexand. *vol. 1. cons. ult. n. fin.* Tunc enim possessio ex causa potentiori & validiori cœpta præsumitur. Paris. *Cons. 75. n. 6. Vol. 4.* Gylm. *Symph. Cam. Tom.* 1. *p. 1. tit. 7. Vot. 6. num. 65.* Sunt enim verba mentis declaratio, qua voluntas dicentis demonstratur, cum nemo existimandus sit dicere, quod non sentiret, *L. 7. in fin. ff. de Suppellectile legata.* Declarata ergo hac mente quod jure proprio possidere velit, non alieno; mox familiaritatis præsumptio cessabit, cum in certis conjecturæ amplius non attendantur. (5) Pari modo cessat præsumpta jure familiaritatis possessio, si ex facto possidentis con- 38

trarium appareat. Nam & animus ex factis operantis cognoſcitur, & talis præſumitur, qualem facta demonſtrant. Maſcard. *de Prob. concl. 95. n. 1.* Cephal *Conſ. 75 n. 3. vol.* 1. Imo facto certior ſæpius quam verbo fides adhiberi ſolet. Seraphin. *de* Seraphin. *de Privil. Juram.* Priv. 1. *n.* 6. Excellentiſſ. *Dn.* Præſes *Tr. de Jur. Senſ. Diſſert. 10. cap. 2. n. 26. ſeqq.* Quod ſi ergo decla-
39 ratio verbis facta, de non poſſidendo animo familiari, idem ex facto colligendum erit. E. G. ſi in re poſſeſſa ad inſtar veri Domini verſetur. Unde concludunt
40 Dd. non poſſe intelligi poſſeſſionem jure familiaritatis, circa quam deponunt teſtes de actibus locationis prædii, inciſionis arborum, ædificatione domus propriis expenſis, & aliis ſolitis fieri à veris dominis rerum ſuarum; nam ejusmodi actus jus familiaritatis excludunt. Poſtius *d. manuten. Obſ. 45. n. 20. in fin. & Deciſ. 420. n. 3. per L. 2.* ibid. *omnia ut Dominum gesſiſſe.* C. *d.*
41 *Acquir. Poſſ. Bart. ad d. L. 2. n. 3.* - (6) Poſſesſionis familiaris præſumptio exſpirat per continuatam posſesſionem. Si quis enim per longum tempus prædium poſſederit, non præſumitur poſſidere Jure familiaritatis, ſed proprio. Poſt. *d. Obſervat. 54. n. 20.* Ripa *in c. cum Eccleſia. n. 68. X. d. Cauſ. propr. & poſſeſ.* Uti enim aliàs per longum tempus continuata poſſeſſio ſuo effectu non deſtituitur; ita quoque operabitur, ut non alieno nomine quis in poſſeſſione eſſe præſumatur, niſi contrarium appareat. Etenim non
42 poterit hic diutinæ poſſeſſioni denegari effectus, ut onus probandi in adverſarium transmittat; cum aliàs in communi hoc poſſeſſionis commodum ſit, probandi onus in alterum transferre, §. *Retinendæ. 4. Inſt. d. Interd.* Menoch *d. Adipiſc. poſſ. Remed. 4. n. 744.* præſer-

ſertim cùm & ex ipſa poſſeſſione titulus aliquando præſumatur. *Clem. 1. ut lit. pend.* Maſcard. *de Probat. Concl. 1201. n. 7.*

Hæc dicta ſufficiant quando jure familiaritatis 43
actus geſti præſumantur vel non; quibus hoc ultimo loco ſubjiciendum: Uti familiaris qui amici fundum ingreditur, familiaritatis jure ingreſſus præſumitur, non ut ſibi poſſeſſionem acquireret, *per L. 41. ff. d. Acquir. poſſeſſ.* ita pari modo, ſi amicus patiatur alium amicum in ſuo fundo verſari, & commorari, non præſumendus eſt eapropter ſuo juri renunciaſſe, qualis præſumptio aliàs ex patientia colligi ſolet; ſed potius jure familiaritatis id perpeſſus, nec eapropter aliquid juris in alterum patiendo transtuliſſe credendus eſt. Caſp. Klock. *Vol. 1. Conſ. 29. n. 560. & Conſ. 50. n. 210.*
Aymo Cravetta *Conſil. 747. n. 18.* Nec patientia in 44
jure familiaritatis idem ac in ſervitute reali operatur. Non enim in damnum alterius extendendum eſt,
quod ex animo in familiaritatem propenſo, amicus 45
amico indulget. De his vero pluribus agendum in capite nunc ſubſequente.

Caput IV.

De EFFECTU JURIS FAMILIARITATIS.

SUMMARIA.

Connexio n. 1.
Juris familiaritatis effectus principalis. n. 2.
Vocabulum videri *quomodo capiatur in* L. 41. *de Acquir. Poſſ.* n. 3. & 6.

jure familiaritatis tantum possidet, nec jus ullum in iis acquirit. n. 26.

Quod magis asseritur de secundo marito hanc uxorem ducente. n. 27. 29

Si lis inter vitricum & liberos ex primo thoro de bonis paternis oritur, his non illis possessio adjudicanda. n. 28.

Maritus viceversa bona uxoris jure familiaritatis possidet. n. 30

Exceptio in bonis dotalibus quæ maritus jure proprio sibi possidet: n. 31. & 32.

Bona Receptitia & Paraphernalia quo jure a marito possideantur. n. 33.

An bona quæ in dotem data non sunt, eo ipso quod maritus ea administret, Paraphernalia præsumantur. n. 34.

Negativè deciditur n. 35.

Respondetur ad contraria. n. 36.

Idem obtinet si certa dos non constituta. n. 37.

Actus familiares quoties familiaritatis jure gesti nullum effectum juris producunt. n. 38.

An qui jure familiaritatis in possessione est, naturaliter possideat? quæritur, & sub distinctione respondetur. n. 39. 40.

An qui jure familiaritatis possidet, mandatum pro manutenenda possessione impetrare possit? quæritur & ibidem distinguitur. n. 41. ad 44.

Actus jure familiaritatis respectu patientis considerati, nullum ipsi damnum afferunt aut præjudicium, n. 45. 46. sed ipsi jus suum conservant n. 53.

Quod exemplis declaratur. n. 47. 48. 49

An si vidua mariti defuncti bona detineat, hæres aut fideicommissarius illorum possessionem apprehendere possit. n. 50

Quod affirmatur. n. 51.

Jus

INstat nunc, ut effectum Juris familiaritatis subne-
1 ctam. Postquam enim priore capite expositum, an & quando actum jure familiaritatis gestum esse præsumendum sit, videndum erit in præsenti, quid ejusmodi actus ex familiaritate gestus, in jure operetur. Primò verò effectum hujus Juris ex *L.* 41. *ff. de*
2. *Acquir. Possess.* exponam, postea, quæ Dd. hinc inde ex hac Lege eliciunt, subjunctis casibus declarabo. Principalis ergo effectus est, quod is, qui jure familiaritatis amici fundum ingressus, non videatur possidere. *d. L.* 41. Ad cujus textus explicationem observandum, JCtum Paulum hic vocabulo *videri* non vulga-
3. ri acceptione uti, quasi familiaris quidem possideat, sed tamen ob familiaritatem possidere non videatur: Quamvis n. sæpius vocabulum *videri* improprietatem
4 quandam denotet in jure nostro, *vid: L.* 15. *pr: ff. de Usucap. L.* 21. *de Captiv. & postlim. reverf. L.* 1. §. *dejecisse*, 12. *ff. de Vi & vi arm. &* L. *Si quis* 37. *ff. d. Contrab. empt.* hinc id aliquando videtur esse, quod tamen non

est

est L. *Scriniarios*. 16. *C. de Testam. milit.* ad quam Le-
gem notat Dionys. Gothofred. *Lit. I.* quod aliud sit
videri, aliud esse: Sic enim Scriniarii videntur esse
milites, non tamen sunt milites. Attamen non 5
semper impropriam hanc significationem in jure ad-
mittit verbum *videri*, sed haud raro etiam idem de-
notat quàm revera ita esse; unde JCti in decidendis
controversiis communiter, tanquam signum aliquod
modestiæ, hoc verbum adhibent, uti apparet ex L. *1*. §.
ff. ad SCt. Turpill. L. 71. §. 3. ff. de Condit. & demonstrat.
Excellentissimus Dn. Præses *Tract. de Jur. Sens. Dis.* 1.
de Visu. c. 1. *n.* 3. Pari modo JCt⁹ Paulus hoc verbo
utitur, ut sic perinde sit, ac si dixisset; qui jure fami- 6
liaritatis fundum ingreditur, non possidet. Ratio-
nem vero subnectit Paulus: Quia non eo animo in-
greditur, ut possideat: Animi enim in acquirenda po-
sessione maxima ratio habetur; Hinc possessionem ac- 7
quisiturus ea mente ac cogitatione esse debet, ut velit
possidere, sicuti idem JCtus Paulus monet in L. 3. §.
quod autem. 1. *ff. de Acquir. Poss.* Jam verò familiaris
amici fundum ingrediendo, in dubio id amici nomi-
ne & in ejus utilitatem fecisse præsumitur, uti dictum
cap. prac. n. 5. non verò censetur hunc animum ha-
buisse, ut sibi acquireret. Animus ergo si desit, non
prodest, corpore esse in possessione, sicuti hoc subne-
ctit JCtus. *in d.* L. 41. *ff. d. t.* Et hinc familiari nihil 8
proderit, corpore in amici fundo esse; non enim
possidere censentur illi, qui affectionem tenendi non
habent, licet maximè corpore suo rem contingant;
uti in alio casu itidem Paulus JCtus loquitur. *L.* 1 §.
furiosus. 3. *ff. de Acqu. Poss.* Ex quo hoc simul constat,

9. Non omnem qui in possessione est, etiam possidere; uti Pomponium bellissimè dixisse notat Ulpianus in *L. si quis. 10. ff. eod.* Illud facti est, & nudæ detentationis terminos non excedit; Hoc Juris. Vid. Cujac. *Lib. 9. Obs. 33.* Petr. Frider. Mindan. *de Mater. posses. cap. 2. num. 13.*

10 Jam subnectam illa, quæ de Juris familiaritatis effectu, occasione *d. L. 41. ff. de Acquir. Poss.* hinc inde Dd. concludunt, ex quibus multos notabiles casus decidunt. Huc spectat primo loco, quod actus jure familiaritatis gesti nullum jus tribuant. Ludov Post. *Tr. de Mandat. manuten. Obs. 53. n. 2. & Obs. 54. n. 4.* Menoch. *de A. J. Q. lib. 2. Cas. 160. n. 13.* Besold. *Consil. 118. n. 79.* Peregrin. *Vol. 3. Cons. 4. n. 9.* Riccius *in Collectan. Decis.*
11 *1293. in fin.* Sicuti nec per actus familiaritatis ulla possessio acquiritur. Magnificus Dn. Brunn. *Comm. ff. ad L 41:* Klock. *Vol. 1. Consil. 21. n. 29.* Johan. Vincent. Hondedæus *Vol. 1. Cons. 65. n. 57.* cum talis possessio non sit attendenda, nec ulla ratione possidentem relevet. Post. *de Manuten. Decis. 206. n. 8. seqq.* Sicuti perinde actus gesti jure familiaritatis, conjunctionis vel amicitiæ nullum possessioni alterius inferunt præjudicium. Menoch. *consil. 202. n. 44.* Post. *Observat. 54. n. 5.*

Hæc ipsa Dd. conclusa jam certis exemplis decla-
12 randa, quæ retentis præcipuè Dd. verbis recensebo: Rusticus aliquis per multos annos Nobilem visitavit, & capones attulit, quæritur an exinde & in posterum obligatus sit, ad capones annuatim offerendos? Resp. negando; Si enim hic nulla obligationis præcessit

cau-

causa,qua rusticus obstrict⁹ capones obtulerit,jure familiaritatis id fecisse videtur, unde in posterum ad id obligatus non est, uti hunc casum in terminis ita decidunt Menoch. *de A. J. Q. Lib.2. cas.160. n.*17. Christoph. Besold. *Part.*3. *Cons.118. n.79.* Bart *in L. cum de in rem verso.n.9.ff.de Usur.* Petr.Rebuff.*ad Const.Regn. Gall. Tr.de Mater. possess. præfat.n.170.* Tales enim actus qui ex familiaritate & urbanitate fiunt,non debent ad necessitatem deduci. Francisc. Balb. *de Præscript.P.1.Part.3.princ. Q.10.n.24.* Unde apparet nimium providos esse rusticos nostros, qui vix precibus Nobilium adduci possunt,ut extra solita servitia quicquam faciant; Mox enim excipiunt: **Sie wolten es zwar wol gerne thun/ aber es würde folgends eine Gerechtigkeit darauß / daß sie es immer thun müsten.** 13

14 Pari ratione si subditi hactenus molendino Domini usi fuerint, familiaritatis jure id fecisse dicuntur, & sic imposterum compelli non possunt, ut præcisè eodem molendino utantur. Besold. *d. Cons.* 118.*n.*77. Aymon. Cravetta *de Antiquit. tempor.V.4. Part.5. princ.n.98.* Thesaur. *Decis.* 16.*n.*1. Balb.*de Præscript. P.4.Part.5.princ.Q.5.n.2.* nisi tamen contraria prohibitio accesserit, & subditi eidem acquieverint. Balb.*d.Q.5.n.3.*

Simili ratione si quis quotannis certam eleemosynam erogare consvevit, non poterit compelli ut & in futurum solvat. Covarr. *in c.possessor. P.*2.§. 4. *n.6. de R. J.in 6.* Besold. *d. Consil.n.78.* quod ipsum quamvis Menoch. *de* A.*J. Q.Cas.160.n.17.in fin.ex* Hyppol. de Marsil.*singular.192.* limitet, ut non procedat in favore piæ causæ,sed quod hic potius ex voluntaria 15

etiam ſolutione necesſitas in futurum inducatur; attamen cum nulla obligatio in ſpecie ſic dicta hic præcedat, non imponenda videtur necesſitas etiam ad
16 favorem piæ cauſæ. Verum quod caſus jam enarratos attinet, licet Dd. decidendi rationem collocent communiter in jure familiaritatis, quod exinde nulla necesſitas inducatur; Quia tamen hi actus non geruntur inter familiares, ſed illos potius, inter quos nulla familiaritatis jura conſtituta, magis puto præfatos caſus referendos eſſe, ad actus facultativos, qui ex libera voluntate, facultate & urbanitate ſuſcipiuntur, ex quibus necesſitate juris nemo in poſterum obligatur, quamdiu alia præſtationis necesſitas aliundè non ſupervenit; de quibus actibus facultativis & urbanitatis Vid. Ludov. Poſt. *Obſerv.53.n.1. & ſeqq.* Balb. *de Præſcript.* P.1. P*art.3.princ. Q.10.tot.*
17. Ad actus itaque inter familiares geſtos me confero, quos ipſos conſiderabo, primò, quoad agentem; Deinde quoad patientem: Quoad agentem ex ſuperioribus jam tum conſtat, quod exercens actum jure familiaritatis nullum exinde jus vel poſſeſſionem conſequatur. Certum enim eſt poſſidentem jure familiaritatis non poſſidere ſibi, ſed alteri cujus fami-
18 liaritate utitur. Poſt. *de Manut. Obſ.54.n.14.* Ex hoc ergo decidendum: Si filius fundum matris poſſideat & colat, non poterit poſtea ad poſſeſſionis jura provocare, cum non jure ſuo ſed familiaritatis in fundo matris verſatus cenſeatur Bart. *ad* L.41.*ff.de Acqu.Poſſ.*: Menoch. *d. Caſ.160. n.13.* quatenus enim bona in matris
19 dominio, eatenus à filio jure familiaritatis poſſideri præſumuntur. Poſt. *d.Tr.Deciſ.206.n.9.* Hinc quamvis ex perceptione fructuū colligatur poſſeſſio. *L.2. C.*
de

*de Acquir.Poſſ.L.litibus.20.C.de Agric.& cenſit.XI.*Ceſſat tamen hæc præſumptio, ſi fructus jure quodam familiaritatis percepti. *Magnificus Dn.* Brunnem. *in Comm. ff.ad* L.*41.de Acquir.Poſſ.n.2.* Joſeph.Maſcard. *de Probat. Vol.3. Concl. 1189. n.8.* Steph. Gratian. *Diſcept. for. c.450. n.*13 Decius. *Conſ.440.n.4.& ſq.* Dd. enim ex hoc & ſi- 20
mili actu tunc demum veram poſſeſſionē concludunt, ſi nemo ali⁹ poſſideat. Socin. *Conſ.13.n.15.vol.*4.Adrian. Gylm. *Symphorem.Cam. Tom.1.p.1. tit.7. Vot.6.n.74.* Nicol. Boer. *Decis.240. n.5.& 6.verſ.& hoc verum.* Si vero quis poſſideat aut titulum habeat, & hi actus committantur, tunc jure familiaritatis ad excludendum delictum commiſſos eſſe, autumant: Cum per rerum naturam impoſſibile ſit, duos eandem rem in ſolidum poſſe poſſidere. *Arg.* L.*5.* §.*ſi duo vehiculum.*15.*ff. Commod.* Et hanc limitationem ſingulis ferè actibus, quibus poſ- 21
ſesſio probari dicitur, annectit Menoch. *Remed.3. Retinendæ n.566.567.verſ.declaratur primo.*Ubi dicit: ex dicta perceptione vel aliis actibus poſſeſſoriis non probari poſſe poſſeſſionem, ſi alterum jam posſidere conſtet. Stephan. Gratian. *Diſcept. Forenſ. cap. 450. n.13.* hoc in omnibus perſonis, in quibus iſta familiaritatis ratio conſiderari poteſt, procedere aſſerit, allegans Fabian. de Anna *Conſ.116.n.2.* Burſat. *Conſ. 303. n.2. lib.3.*

Ex eâdem ratione filius vivente patre nullam aliam 22
poſſeſſionem quam jure familiaritatis & conſangvinitatis ſibi à patre conceſſam habet. Adrian. Gylman. *Symph.Cameral. Tom.1.P.1. tit.7. Vot.6. n.*65. Jacob. Menoch. *Remed.3.Retin.poſſ.n.506.* Pari modo inter ipſos 23
fratres controverſia decidi poteſt: Si mortuo patre, ex conſvetudine caſtrum pertineat ad primogenitum, & alii ſimul officiales longo tempore conſtituerint, Iuris-

dictionem exercuerint, postea fratres ultrageniti non poterunt dicere, se super his acquisivisse possessionem vel aliquod jus, cum frater primogenitus id passus fuerit jure fraternitatis & familiaritatis. Petr. Rebuff. *ad Constit. Regn. Gall. Tit. de Mater. poss. præfat. n. 172.* Casp. Klock. *Vol.* 1. *Consil. 29. n. 562.* Steph. Gratian. *Discept. forens. Tom. 3. cap. 450. n. 6.* Cephal. *Consil. 4. n. 40.* Tusch. *Pr.* Concl. *lit. P. Concl. 411. n. 9.* Alciat. *de* Præsumpt. *Reg. 2.*
24 *præsumpt. 29. n. 6.* Longum enim tempus ex horum actuum exercitio non tribuit possessionem, nec titulum fratris primogeniti præscribit, interim nec fratres in mala fide esse creduntur, quia præscribere nequeunt. Nulla enim consequentia, non potest prescribere. E. est in mala fide, cum aliæ causæ præscriptionem impedientes sint, quam mala fides. Excellentissimus Dn. Rhetius *Antecessor hujus Academiæ celeberrimus in Comm. Feud. Lib. 1. tit.* 1. *verb.* Præpositus. *n. 14.* inter quas ipsum Jus familiaritatis. Procedit hoc etiam si fratres
25 bona communia habeant, unus vero illa administret, fructus percipiat, prędia aliis locet; non enim hic unus saltē, sed omnes fratres possidere dicuntur; frater enim administrans quoad aliorū ratas jure familiaritatis non jure proprio possidet. Menoch. *de* Præsumpt. *lib.* 6 Præs. 67. *n.* 12. Gratian. *d. l. n. 10.* Postius *de Manuten. Obs. 54. n.* 15. nam quod omnium nomine possidetur, ab omnibus possideri intelligitur. L. *Communis.* 42. *ff. de Acquir. Poss.* Quod ab aliis extenditur ad eum casum, si
26 fratrum unus alterum mortuum esse credat, & ita paternam hæreditatem, ac si in solidum heres esset, totam occupet, tamen fratri revertenti, se quoad integram hereditatem in possessione esse, opponere nequit; cum quoad partem fratris saltem jure familiaritatis posside-
re

re censeatur, cum de jure ad eum pars dimidia pertineat Alexand. Tartagn. *Vol.6. Consil.167 n.4. & ibi in add. verb. Sororem.* Cardin. Tusch. *Pract. Concl. lit.* P. *Concl.411. n.8.*

Inter conjuges perinde nullum jus tribuit actus jure familiaritatis gestus. Hinc uxor bona mariti possidens, non poterit postea ad possessionis jura provocare, cum non proprio sed familiaritatis jure, eadem possederit. Post. *d. Obs.54. n.17.* Tusch. *d. Concl.411. n.10* Et cum hac ratione uxor post mortem mariti in bonis maneat, ex reditibus se sustentet, non tamen ita possessionis jus acquirit, sed in possessione duntaxat jure familiaritatis manere præsumitur, sicuti in ea erat vivo marito. Ernst. Cothm. *Vol.5. Cons.6. n.34. sq.* Curt. Iun. *Cons.168. n.35. seq.* Quod si vero ita in possessione familiaritatis jure persistat, & ad secunda vota transeat, 27
tunc maritus ille, contractis nuptiis, & arrepta bonorum possessione, non veram possessionem illorum bonorum consequitur. Magnif. Dn. Brunnem. *ad* L. *qui Jure familiaritatis. n.4.* non enim plus juris habere poterit, quam uxor in cujus ædes transit, vel ut Germani loquuntur; zu welcher er einfreyet/ oder einführet. *B. Dn.* Mev. P.2. *Decis 219. n.3. in not.* Orta itaque lite inter 28
liberos prioris matrimonii super bonis paternis cum vitrico, non huic, sed liberis possessio assignanda. Etiamsi enim mater bona paterna secum retineat, non tamen ita liberis possessio in bonis communibus competens, intervertitur, sed conservatur; Mater enim suo & liberorum nomine bona communia tenet, & sic quantum ad liberos jure familiaritatis possidet. Ernest. Cothm. L.2. *Cons.96. n.28.* Si ergo non facta divisione 29
cum liberis vitricum superinducat, non habendus est vitricus pro possessore bonorum liberis competentiū,

cum

cum tantum familiaritatis causa cum uxore in ædibus hæreditariis degat, nec amplius quicquam sibi arrogare potest, quam uxori competit, cujus gratia & nomine in bona venit, prout hæc eleganter exponit B. Dn. Mev. *Part.*4. *Decis.*392. *n.*10. *sqq.*

30 Cum verò jura conjugum in plerisque sint reciproca, est enim inter conjuges fortunārum pariter ac bonorum quædam societas, patebit exinde, etiam Maritum bona uxoris jure familiaritatis possidere præsumi. Card. Tusch. Pr. *Concl. lit.*P. *Concl.*411.*n.*10. Angel.
31 Aretin. *Consil.*15. *n.*47. *sq.* Sed hoc non procedet in bonis dotalibus, quæ dotalia esse constat; in his enim quia Civile dominium constante matrimonio maritus habet. *pr. Inst. Quib. alien. lic. v. non.* & legum subtilitate dos transit in patrimonium mariti. L. *in rebus dotalibus.*30. C. *de Jur. dot.* inde & marito rerum dotaliũ vindicatio indulgetur. *in* L. *Doce ancillam.* 9. C. *de Rei Vind.* minus rectè familiaritatis jure dotem possidere diceretur, sed vera ac realis possessio ipsi constante matrimonio competit; unde & fructus reditusque possessionis solus lucratur. L.65. *ff. de Jur. dot.* L. *pro oneribus* 20. C. *eod.* Struv. *Syntagm. Jur. Civ. Exerc.*30. *th.*12.

32 Unde colligo ipsam uxorem constante matrimonio cum marito in bonis dotalibus degentem, non possidere revera bona dotalia, quamvis hæc adhuc in naturali uxoris dominio esse
33 dicantur. L.30. C. *de Jur. dot.* Quia enim omne jus uxoris in dote constante matrimonio, vel marito ad inopiam non vergente. *l.*29. C. *d. t.* est in suspenso, nec possessio vera uxori competere potest, sed jure familiaritatis cum marito in possessione esse censetur, alioqui duo rerum dotalium possessores forent, quod jura no-

ad

ſtra non admittunt. L *3. § 5. ff. de Acqu. Poſſ.* Wiſſenbach. *ad ff. h. t. th. 14.* In cæteris ergo bonis uxoris, maritus jure familiaritatis poſſidere præſumitur, præſertim verò in Receptitiis, cum Paraphernalia ipſius adminiſtrationi ab uxore ſpeciatim committi L. *fin.* C. *d. Pact. convent.* B. Dn. Mev. *ad Jus Lubecenſe Lib. 1. tit. 5. pr. n. 7.* imo eorundem uſusfructus ex conſvetudine, præſertim Saxonica, marito asſignari ſoleat. Carpz. *Juriſpr. forenſ. P. 4. Conſt. 21. Def. 1. n. 7.* Magnif. Dn. Brunnem. *in Repet. paratit. Weſemb. quæſt. 27. ff. de Jur. dot.* non nudo familiaritatis jure, ſed proprio quodam hæc bona poſſidebit. Non tamen civilem, ſed Naturalem in paraphernalibus poſſeſſionem habebit maritus, ad inſtar uſufructuarii quem naturaliter poſſidere evidens eſt, per L. *Naturaliter 12. ff. de Acquir. Poſſ. L. poſſesſio 49. pr. ff. eod.* Naturalis enim poſſeſſionis indoles nihil commune habet cum Dominio in genere. Excellentiſſ. Dn. Rhetius *in Comm. Jur. Feud. ad Lib. 1. tit. 3. n. 3.* eamq; ob rationem nec maritus Paraphernalibus ad modum veri domini uti poteſt.

Ex his verò jam decidi poterit ſequens dubitatio. An ſi uxor certam bonorum quantitatem in dotem dederit, 34
poſtea vero patiatur maritum & circa cœtera in dotem non data, nec ipſius adminiſtrationi commiſſa, diſponere, eadem adminiſtrare, fructus exinde colligere, an ex hac ipſa poſſeſſione & adminiſtratione mariti, bona talia præſumantur eſſe paraphernalia? Ita quidem videtur, cum 35
dotalia non ſint, & tamen à Marito adminiſtrentur. Sed contraria ſententia mihi verior videtur; cum paraphernalia bona non dicantur, quæ marito adminiſtranda non commiſſa. Carpzov. P. 1. *Conſt. 28. def. 90. n. 4.* Quamvis enim latè paraphernalia dici poſſint, quæ marito tradita non ſunt, propriè tamen, & quoad effectum paraphernalium

lium nomine non veniunt, unde nec hypothecam connexam habent. Magnif. Dn. Brunnem. *Comm. C. ad L. fin.*
36 *de Pact. convent.* Nec obstat hoc casu, quod tamen maritus simul cum uxore sit in horum bonorum possessione, eorundemque administrationem, non contradicente uxore gerat; Hæc enim omnia saltem familiaritatis jure fieri censentur, quod inter conjuges intercedit, & hinc maritus exinde speciale jus sibi vindicare nequit, nisi forte uxoris consensum probare possit, quod administrationem in maritum transferre voluerit. Quod si autem
37 hoc in paraphernalibus procedit, multo magis obtinebit in dotalib⁹, quod scilicet bona uxoris à marito possessa & administrata, non propterea dotalia præsumantur, unde uxor bona hæc repetendo, privilegio dotis uti volens, fundatam intentionem non habet; Dotis enim constitutio facti est, hinc ab allegante probanda. *L. ult. §. eodem modo C. de Repud.* Anton. Faber. *in Cod. Sabaud. Lib. 5. tit. 7. def. 1812.* Carpz. *P. 2. Const. 16. def. 11. n. 7.* quia hoc expressum actum esse debet, ut bona in dotem data esse censeantur. *Andr. Kobl. de Pact. dotal. P. 1. n. 101.* Wesenb. P. *1. Consil. 25. n. 2. & 10.* Gail. *Lib. 2. Observ. 82. n. 3.* Mascard. *de Probat. Conclus. 576. n. 2.* Potius ergo jure familiaritatis præsumitur possidere maritus, quam titulo dotis, Jacob. Menoch. *lib. 6. Præsumpt. 67. n. 11.* vel si de administratione ab uxore commissa constiterit, potius paraphernalia, quam dotalia præsumuntur. Carpz. *d. Const. 16. def. 11.*

In familiaribus cæteris æquale jus obtinet, dum nec
38 horum act⁹ ullum juris effectum habent, quoties constat, eos familiaritatis jure gestos esse. Quod si vero vel ex titulo præcedente, vel aliunde contraria præsumptio capi possit, de quo in præcedenti capite dictum, possessionis

effe-

effectu, ex jure proprio competentis gaudebit; quòd singularibus exemplis declarare operæ precium haud erit. Hoc tamen quoad familiares in genere disquirendum: 39
Annon, qui Jure familiaritatis est in possessione, naturaliter possideat? Distinguendum puto pro diversa naturalis possessionis acceptione: Aut illa capitur pro nuda rei alienæ detentione, ubi quis corpore quidẽ insistit, sed sibi non possidet, uti fit in depositario, qui tamen naturaliter possidere dicitur. L.2. §.1. *ff. Pro hæred.* Aut capitur pro tali possessione, ubi quis sibi quidem possidet, quo sc. fructus ex re possessa suos faciat, sed non animo domini possidet, quale exemplum est in usufructuario *L. 12. ff. de Acquir. Poss.* Magnif. Dn. Brunnem. *Repet. Wesenb. d. t. qu. 6*

Hoc modo naturaliter non possidet familiaris, cum 40
certum sit, eum qui jure familiaritatis in possessione est, non sibi, sed alteri possidere, cujus familiaritate utitur. Ludov. Post. *Tract. de Manuten. Obs. 54. n. 14.* Illo autem modo naturalis possessio ipsi tribui potest; Est enim corpore in possessione, licet nec sibi, nec animo Domini possideat, cum plane animũ possidendi habere non dicatur. *d. L. 41. ff. eod.* quo sensu intelligendum puto Petr. Gregor. Tholos. *Syntagm. Jur. Univ. lib.* 1. *c. 13. n. 24.* quando ingressum illum fundi ex jure familiaritatis ad possessionem naturalem refert.

Jam videndum, an possessor jure familiaritatis possit mandatum pro manutenenda sua possessione impetrare? 41
Diversos casus separandos puto; Aut enim constat de vera possessione alterius cujus nomine familiaris possidet; vel non constat. Illo casu possessio familiaris non attendenda, & hinc nec mandatum manutenentiæ familiari concedendum. Posteriori verò casu si jus alterius sit incertum, possessio jure familiaritatis tam diu est manute-

nutenibilis, quamdiu de jure alterius nondum constat Ludov. Post. *d. Obs. 54. n. 19.* Unde benè monet *in d. hac Obs. n. 1.* quod possessio jure familiaritatis planè non sit manutenibilis, in concursu alterius possessionis, quæ adjuvatur titulo.
42 Deinde videndum an certum sit, aliquem jure familiaritatis fundum ingressum esse; an incertum; Illo casu manutentio non datur; Benè tamen hoc casu; uti tamdiu manutenendus, donec disputatum; an possessio sit jure familiaritatis nec ne. Post. *d. Obs. n. 19.*
43 Porrò attendendum si duo de possessione litigent, & primus secundum quidem in possessione esse fateatur, sed saltem jure familiaritatis, ob confessionem illam primi, secundus in possessione Manuteneri debet; nam ad effectum manutentionis rejicitur illa qualitas familiaritatis à primò confitente adjecta, & simpliciter ex confessione ipsius censetur probata possessio. Post *d. Tr.* Decis. *230. n. 2.*
44 Hoc certum, si superveniat aliundè causa, ob quam possessio familiaris immutata dici possit, manutentionem non esse possidenti denegandam Post. *d. Obs. 54. n. 25.* de qua immutatione possessionis familiaris in Capite V. in specie agendum erit.
45 Dicta hæc sufficiant, quoad exercentem actus familiaritatis jure; Jam effectum horum actuum quoad patientem subjungam. Hic verò iterum in genere præmitto, quod patienti alterum actum familiaritatis in re sua exercere, hoc non noceat, nec præjudicium ipsi exindè contingat. Concludunt enim ita Dd. Ea quæ jure familiaritatis, pacis gratia, aut ex liberali tolerantia ac Urbanitatate tolerantur, neque agenti jus vel possessionem, neq; infuturum obligationem pariunt. Casp. Klock. *Vol.* 1. C*ons.* *29. n. 565. &* C*ons. 50. n. 254.* & ab hoc allegati. Et ea quæ ex urbanitate & civilitate fiunt, quantocunq;
tem-

tempore etiā fiant, non prejudicant juri nec publico, nec privato, nec in petitorio, nec in possessorio. Molinæus *ad Consuet. Paris.* §. 1. *Gloss.* 4. *n.* 14. nam ex actibus factis ratione tiæ, obsequii vel gratiæ, non potest dici aliquod jus vel amici quasi possessio acquisita Bertazzoll. *Consil. Civil.* 21. *n.* 65. & ex eo Klock *d. Vol.* 1. *Cons.* 21. *n.* 97. *seqq.* Et familiaritatis jure si quid potest videri permissum, non derogat juri permittentis. Pergrin. *Vol.* 3. *Consil.* 4. *n.* 9. Inde jam sequentes decisiones dependent: Si quis amicitiæ ac fami- 47
liaritatis jure sæpissimè apud amicum hospitatus sit, ex mille actibus hospitationis non præjudicatur recipienti, nec acquiritur alteri jus hospitandi, *Arg. L. Et habet.* 15. §. 1. *ff. de Precar.* Christoph. Besold. *Part.* 3. *Consil.* 118. *n.* 81. Ruin: *Lib:* 4. *Cons:* 5. *n.* 13. Menoch: *de A. J. Q. lib.* 2. *Cas:* 160. *n.* 19. sc: si causa alia non subsit, unde non jure familiaritatis sed servitutis hospitatio facta censeri possit, Menoch, *d. l.* Pari modo si quis alicujus conjuncti vel amici
fundum aut vineam ingrederetur, etiam cum consensu 48
possessoris, non nocet hoc consentienti, nec alteri inde possessio acquiritur; cum Dominus id saltem jure familiaritatis amicitiæ & conjunctionis permisisse videatur, Ludov. Post. *de Manuten Obs.* 54. *n.* 8. Æqualis ratio est in amico, qui aliquoties ad prandium meum venit, cui imposterum non obligatus sum, Cardin. Tusch, *Pr. Concl. Lit.* P. *Concl.* 411. *n.* 13. Porro si quis ex familiaritate pa-
tiatur alterum dextro latere occupato incedere, non ex- 49
inde præjudicium patienti creatur: Præcedendi enim quasi possessio non probatur ex actu familiari, & ex urbanitate, seu ratione amicitiæ vel consanguinitatis facto & admisso. Postius *Obs.* 53. *n.* 10. ubi idem in actibus ex devotione gestis esse dicit.

Cum itaque possessio familiaris, non noceat alteri; 50
quæ-

quæritur: An ſi vidua poſt mortem mariti jure familiaritatis in bonis manſerit, heres vel fideicommiſſarius ita impediatur poſſesſionem apprehendere? Videbatur quod non, quia heredi ſcripto occupare bona, propria authoritate tunc demum licet, ſi contradictor non extiterit, aut non ſit alius poſſeſſor; nam aliàs authoritate Judicis opus eſt, ne ipſe ſibi jus dicere videatur. Zoeſ: *Comm.ff.tit. Quor. bonor.n.7.* Hoc caſu tamen cum vi-
51 dua talis ſaltem jure familiaritatis ſit in poſſesſione, non eſt impedimento, quo minus heres fundum ingredi, posſesſionem apprehendere & continuare valeat. Nam & Colonus & inquilinus, aliique his ſimiles in prædio ſunt, & tamen non posſident, nec Domini poſſesſionem impediunt. *L.Certe.*6. §.2. *ff.de Precar. Vid.Conſ. Ingolſtadienſ:* relatum ab Erneſt:Cothmann: *Vol:5. Reſponſ:* 6. *n.35.* præſertim ſi vidua illa nondum declaraverit, ſe proprio quodam jure in poſſeſſione manere velle.

52 Ex hoc ipſo etiam decidi poterit controverſia ſuper jure compaſcuorum, vel ut germanicè vocatur, **von der Koppel=Weide**; Vicini enim jure quodam familiaritatis & ſocietatis in prædiis ſuis mutua & communia ſibi paſcua concedere ſolent. Dn. Carpz. *Part.2. Conſt.4. def.* 14. Dn. Johan. Köppen. *Part.1. Deciſſ. Quæſt.12. n.5.* Qui ergo aliquoties paſſus eſt amicum pecora in ſuo fundo paſcere, non inde obligatus eſt, ut in poſterum quoque idem patiatur, compaſcuorum enim jus non diutius durat, niſi quamdiu alteri placuerit, nec una pars contra alium longiſſimo uſu ſe tueri poterit, Köppen. *d. Q.12.n.9.* poterit ergo alter illorum, qui jus compaſcui habet, & propriis paſcuis uti vult, liberè revocare, Dn. Struv. *in Syntagm. Jur. Civil. Exerc.13. th.26.* Add. Covarruv. *Pract. Quæſt. 37. n. 6.* Andr. Knich. *de Pact. inveſtitur.* P. 2. *c.4. n.64.* Speidel. *in Notabil.voc.* **Koppelweide.**

Quamvis itaque non noceat patienti actus familiaritatis ab altero in re sua gestus; prodesse tamen ipsi po- 53
terit quoad juris sui ac possessionis conservationem Qui enim jure familiaritatis in fundo est, alteri possidet, cujus familiaritate utitur, Stephan. Gratian. *Discept. forens. Tom.3. cap.450. n. 5. in fin.* Post. *d. Obs.*54. *n.*14. Uti enim aliàs per illos qui in familia nostra sunt, possessionem retinemus; Ita perindè per familiares nostros, in possessione nostro nomine constitutos, nobis possessio conser-
vatur. Hinc uno fratre omnium nomine vel familiari- 54
tatis jure in possessione constituto, cæteri mandatum de manutenendo impetrare possunt, quia omnes fratres unum aliquod ac indivisum patrimonium habent. Steph.
Gratian. *Discept. forens. d. Tom. cap.* 450. *n.*35. *sqq.* Quæ 55
decisio tunc maximè obtinebit, si cum tertio lis sit, qui fratres in possessione patrimonii turbet, tunc enim ex possessione unius fratris omnes manutentionem impetrare possunt, quia omnium æquale jus est, & fatrrum cæterorum jus per possidentem jure familiaritatis conservatur.
Sed si ipsi fratres possidentes & non possidentes inter se 56
litigarent, non aliter manutentio omnibus competeret, nisi omnes cohabitarent. Alias enim obtinebunt illa, quæ superius de manutentione familiari possessori concedenda, dixi.

Ultimo loco hoc subjiciendum putavi; An si quis 57
jure familiaritatis fundum alienum ingrediatur, fructus quoque pari jure colligat, teneatur ad rationes reddendas? In qua quæstione distingvendum censeo: An familiaris solus sit in possessione, agrum colat, fructus colligat; An vero familiaris una cum illo, cum quo ipsi familiaritas intercedit, in possessione sit, & ob familiaritatem simul in agro colendo & fructibus colligendis auxi-

lium

lium & operam alteri præstet. Priori casu quia familia-
58 ris ab administratore & negotiorum gestore nihil differt, de his verò expeditum est, quod quilibet administrator rerum alienarum seu negotiorum gestor ad rationes suæ administrationis reddendas obstrictus sit, vel ut JCtus loquitur, actus sui rationem reddere debeat *L.2.ff.de Negot. gest. L.46. §.4.ff.d.Procur.* Pari modo & familiaris de administratione sua, quam solus gessit, & fructuum perceptione rationem reddere debet. Posteriori casu si fa-
59 miliaris administrationem non susceperit, sed alteri familiari saltem in uno ac altero familiaritatis officia, quoad administrationem exhibuerit, non tenetur ad rationes reddendas, cum ipse propriè non administraverit, sed administranti tantum auxilium tulerit.

Hinc colligit B.Dn.Mev.*Part.2.Decis.219.* Si maritus uxo-
60 rē ducat, quæ adhuc ex jure retentionis bona prioris mariti possidet, tunc si maritus saltem jure familiaritatis, seu nomine uxoris in possessione fuerit, atque ita illius causa curam aliquam bonorum gesserit, ad rationes reddendas non tenetur, cum non suo sed uxoris nomine gesserit, quicquid ipse gessit, vel quia uxori administranti saltem maritale auxilium præstitit; hinc licet fructus percipiat, pro possessore tamen non habetur. Menoch. *Remed.3. Retinendæ possess. n.566.* Quanquam uti antea dictum, rationum redditio non ex jure possessionis, sed ex qualitate administrationis dependeat. Cætera ad effectum pertinentia, præsertim præscriptionem Juris familiaritatis capite sequente proponam, ad quod me jam converto.

CA-

Caput V.

De POSSESSIONIS FAMILIARIS IMMUTATIONE.

S U M M A R I A.

An Filius manens in bonis patris, actualiter ea apprehendisse censeatur.

Deciditur affirmativè, subjectâ ratione. n. 28.

Recensetur controversia Sprinzensteiniana & Rechenbergica. n. 29. seqq.

Familiaris possessio amiti morte desinit, nec illam sine novo titulo in aliam mutare potest. n. 34.

An qui longissimo tempore jure famili[illegible] rem possed[illegible] [illegible] prio[illegible]

Deciditur negativè. n. 36. 37. 38.

Nec per longissimam possessionem familiarem servitus acquiritur. n. 39.

Juri compascui nullo tempore præscribitur. n. 40.

Dubium resolvitur. n. 41.

1. POstquam præcedentibus capitibus expositum ex qui-[illegible] Jure familiaritatis ingressum esse, & quem effectum producat possessio ita obtenta, jam subjungendum erit, de possessionis familiaris immutatione, quousque scil. duret possessio jure familiaritatis, & an taliter possidens, suam possessionem immutare, ac in posterum jure pro-
2. prio possidere possit. Hoc verò ut eò commodius inquirere liceat, generale hoc juris principium, quod decisioni casuum ad hanc materiam pertinentium inservit, prius indagandum: An & quando licitum sit, sibi possessionis causam mutare? Quæstionis hujus membrum
3. prius cathegoricè resolvit JCtus, & à veteribus ita præceptum esse dicit in *L. 3. §. 19. ff. de Acqu. Poss.* neminem sibi causam possessionis mutare posse, cum qua decisione conveniunt textus *in* L. *19.* §. 1. *ff. eod.* L. *cum nemo. 5.* C. *d. t. l. 33.* §. 1. *ff. de Usucap.* L. *ad probationem 23. C. Locat.* non enim ex cujusvis animi destinatione dependet, quo jure quis possidere velit, sed causa extrinsecus accedens attendenda, quo jure possessionem adeptus fuerit. Cæte-

Cæterum hæc decisio tunc locum habet, si quæramus de jure, non de facto; quæ limitatio continetur in *d. L. 23. C. Locat.* ubi notanter additur, nemo sibi *de jure* possessionem mutare potest. Nam de facto sæpius contingit mutatio; Sic commodatarius, conductor, depositarius, sciunt, se bona fide non possidere; hinc si Lucri faciendi causa incipiant possidere, non tamen sibi mutare possunt possessionem. *L. 33. §. 1. ff. de Usucap.* quanquam ita, si Domino rem suam repetenti resistant, possessionem veri Domini de facto intervertant. L. *6. §. 1.* & *L. 7. ff. de Acquir. poss. L. 5. ff. de Usucap. Conf.* L. *Colonus. 12. ff. de Vi & Vi armat.* Magnificus Dn. Brunneman. *Comm. ad* L. *5. C. de Acquir. Poss.* Porro dicta Decisio obtinet, si quis retenta priori possessione, animo saltem statuat, se alio titulo possidere velle; si verò dimissa priori possessione, ex nova causa possessionem de novo apprehenderit, mutare sibi causam possidendi poterit. *L. 19. §. 1. ff. de Acquir. Poss.* Non tamen puto præcisè dimissionem prioris possessionis necessariam esse, sed sufficit si modo retenta priori possessione titulus novus supervenerit: Sic enim possessor non mutat sibi ipsi causam possessionis, sed causa seu titulus aliundè supervenit, ex quo illa mutatio inducatur: Ergo respectu possidentis saltem necessarium est, quod eo animo velit possidere, uti titul⁹ superveniens exigit. Unde non puto hanc præcisè JCti *in d. l. 19. §. 1.* mentem esse, ut prior possessio corporaliter dimittatur, sed sufficit si animo priorem possessionem dimittat, & se ex novo titulo possidere velle statuat.

4 (beside "mus de jure, non de facto") · 5 (beside "C. de Acquir. Poss.") · 6 (beside "sessionis necessariam esse")

7 Sic qui à non Domino scienter emit, pro possessore quidem possidet; Si tamen postea emerit ab eo quem Dominum credit, incipiet pro emptore possidere ex justa causa. *l. 33 §. 1. ff. de usucap.* Henric. Zoes. *Comm. ff. tit. Pro suo. n. fin.*

ubi& alia exempla habet. Tali enim casu fingitur possessor priorem possessionem actualiter dimisisse, & ex posteriori titulo eam de novo apprehendisse; sicuti econtrario per constitutum possessorium quod meo nomine possideo, citra actualem possesionis dimissionem, alieno nomine possidere possum. L. *Quod meo 18. pr. ff. de Acquir. Poss.*

8 His ita præmissis, applicatio ad præsentem materiam instituenda, ubi ex præcedentibus colligendum; qui jure familiaritatis in fundo est, ipse sibi causam possidendi mutare, vel ut non amplius jure familiaritatis in fundo sit, efficere nequit. Argum. *d. L.3.§.19.ff.de Acquir.*
9 *Poss.* Hoc vero limitatur, nisi titulus aliundè superveniat: Præsumitur enim possessio jure familiaritatis mutata ex supervenientia novi tituli absque alia declaratione. Ludov.Post. *de Mand. Manuten. Tom.2. Decis.115. n.3.* Mantica *Decis.71. & seqq.* Quisque enim eo jure uti præsumitur, quod potentius est; & qui ex titulo proprio possidere potest, non præsumitur amplius jure familiaritatis possidere, quodipsum supra *Cap.3. n.26. & 37.* uberius deduxi. Possessio tamen ejusmodi ad effectum
10 mutandi causam possidendi ex novo titulo superveniente, debet probari. Post. *d. Lib. Decis.119. n.11.* nam novum titulum supervenisse, hoc facti est; quæ verò facti sunt, non præsumuntur, sed probanda, præsertìm si quis fundamentum suæ intentionis in eo collocet. *Arg.* L. *in bello.12. §. facti.2.ff. de Captiv. & Postlim. revers.* L. *Asseveratio.10. C. de Non numer. pec.* Mascard. *de Probat. Vol.1. Concl.732.* Sufficit verò hic ejusmodi titulus, qui alias in
11 possessoribus attendi solet, ut si prædium emat, vel ipsi in divisione hereditatis quid obveniat, ex quibus possessio jure proprio colligitur. Post. *Decis.420. n.4.* quali titulo superveniente, is qui hactenus jure familiaritatis in

pos

possessione fuit, autoritate propria absque judicis ministerio, ex novo titulo in possessione manere potest. Post. *Observ. 54. n. 23.* 12

De eo autem multum controvertitur inter Dd. an per mortem illius à quo jure familiaritatis detineo fundum, possessio familiaris exspiret, ita ut post mortem illius, jure proprio possidere possim? Ita videtur, cum familiaritas mariti morte exspiret, dum mors omnia solvit. Philipp. Deciūs *Cons. 400 n. 5.* Sed ego ad hanc 13
quæstionem in genere respondendum puto, sub tali distinctione: Aut is qui jure familiaritatis in fundo est, per mortem alterius novum possidendi jus consequitur: Aut non. Priori casu exspirat possessio jure familiaritatis, & degenerat in illam, quæ proprio jure fit. Secus in casu posteriori. Verum cum exempla hanc rem optimè illustrent, quædam hic subjicienda duxi.

Quæritur ergo: An uxor quæ jure familiaritatis 14
in bonis mariti est, eo mortuo sibi causam possessionis mutare censeatur, ita ut non amplius jure familiaritatis, sed jure proprio in bonis mariti defuncti maneat? Hoc certum, quod & mortuo marito si vidua in bonis maneat, jure familiaritatis id fecisse intelligatur. Vid. Dn. Mev. *Part. 4 Decis. 492.* de quo diximus superius *cap. 4. n. 26.* Sed hoc 15
dubium mihi videtur an sola mors mariti justa causa sit, ut possessionem familiarem possit immutare? Quod non puto, nisi ex morte mariti jus novum possidendi vidua consequatur. Hoc novum autem jus, quod uxor per mortem mariti consequitur, vel consistit in jure successionis vel retentionis: Illo casu uxor, quæ hactenus jure familiaritatis possedit, ob successionem, vel ex sta- 16
tuto vel testamento competentem, si ex hoc novo jure in bonis maneat, mutabit sibi causam possessionis. *Arg. l. 19 §. 1. ff. de Acquir. posses.*

Idem

Idem obtinet si retentionis jure ob dotem vel do-
17 nationem propter nuptias in bonis maneat: Potest enim uxor possessionem, quam vivo marito jure familiaritatis habebat, mutare pro interesse dotis suæ. Decius *Cons.400.n.5.* Et quamvis Socinus *Lib.1. Consil.131. Columm.3.* velit, quod uxor in dubio non videatur sibi mutasse causam possessionis, si vivat cum heredibus, uti vixit cum marito. Hoc tamen tunc saltem locum habet, si non constet, quod uxor bona retinuerit, pro dote & aliis ex mariti bonis sibi debitis. Dec. *d. Consil. 400. n.5.* Posiius *de Manuten. Tom.2. Decis.325.n.12.* Soluto enim matrimonio, quia jus repetendi dotem uxori redintegratur, & hinc jus reale à jure ipsi viduæ indulgetur, per *l. Assiduis 12. C. Qui potior in pign.* Imo jus retentionis ipsi conceditur, *arg. l. un.* §.1. C. *de Rei uxor. act. Dn.* Mevius Part. 1.
18 *Decis.172. & Part.4. Decis.60.* Ergo vidua non præsumitur amplius jure familiaritatis in bonis manere, sed ex jure retentionis sibi competente possidere. Hinc uxor præsumitur causam possidendi jure familiaritatis mutasse in causâ sui crediti vel dotis etiam absq; alia declaratione Post. *Decis.230.n.3.* Hoc casu tamen uxor non ulterius
19 possessionem familiarem mutare potest, quam in quantum est in possessione, nam in bonis quorum possessionem nunquam potuit vidua habere, non procedit jus retentionis. Post. *d. Decis.125.n.13.* Joh. Guttierrez. *Consil.19.n.16.*

Non dispar ratio est in filiis & filiabus, qui vivo pa-
20 tre in possessione bonorum fuêre, quod sine dubio jure familiaritatis factum; Quæritur itaque an causam possidendi ex jure familiaritatis sibi mutare possint, post mortem patris? Quod affirmandum ob novum titulum

super-

supervenientem. Sed dubitari posset, an hic adsit novus titulus. Nam in *L. 2. §. 1. ff. Pro hered.* dicitur, quod heres causam possessionis mutare non possit: Unde filius rem à patre donatam, mortuo patre usucapere non potest. *d.* L. 2. §. *fin. Hillig. in Donell. lib. 5. cap. 14. Lit. I. & R.* Magnif. Dn. Brunnem. *Comm. ff. ad d.* L 2. *n.* 2. Ex qua ratione etiam ex titulo hereditario rem à defuncto possessam heres usucapere non potest. Francisc. Balbus de Præscript. *Part.* 4. *Part.* 1. §. 4. *princ. Quæst.* 11. *num.* 5. Sed aliud est quærere an titulus pro herede per se sufficiens sit ad usucapiendam rem, quam defunctus sine causa possedit; quod negatur. Nam quod usucapere non potuit defunctus, nec etiam heres potest §. *Diutina.* 7. *Inst. de Usucap.* cum heres in locum defuncti transeat & sic ejusdem jure utatur. Hahn. *ad Wesenb. tit. pro hered. n.* 1. ergo deficit hic novus titulus. Aliud verò est, si quæram; an heres quoad suam personam consequatur novum titulum, quoad bona, quæ defuncti fuerunt, seu in ipsius dominio extiterunt; quod affirmatur. Per testamentum enim vel legem bona in heredem transferuntur, heres ergo exinde jus in bona defuncti consequitur ex dispositione testatoris vel legis; est enim hereditas successio in universum jus, quod defunctus habuit, uti eam describit JCtus in L. *Hereditas* 62. *ff. de R. J.*

21 22 23

Cum ergo filio filiæque novum jus per mortem sui patris superveniat, vel ad minimum dominium, quod vivo patre in spe antea habebant, *per.* §. 2. *Inst. de hered. qualit. & diff.* in re consequantur; per consequens etiam possessionem familiarem mutare possunt, in possessionem jure proprio sibi ut heredibus competentem. 24

Hinc qui titulum universalem hereditarium habet, jure proprio; alter verò tali titulo non gaudens, & simul

cum

cum herede in poſſeſſione exiſtens, jure familiaritatis
poſſidere præſumitur. Adrian. Gylm. *Symph. Cam. Tom. 1.
Part.* 1. *tit. 7. n. 164. p. m. 508.* Et ex hoc concludunt
25 Dd. quod poſſeſſio filii jure familiaritatis, talis non ma-
neat, patre mortuo. Meichſner. *Deciſ. Cam. Imper. Tom. 3
Deciſ. 13. n. 69.* ubi rationis loco hæc benè ſubjicit: Quia
rationes, propter quas jure familiaritatis, filius poſſide-
re cenſebatur vivo adhuc patre, amplius non militant eo
mortuo: Cauſa enim extrinſeca (morte ſcil. patris) ac-
cedente, poſſesſio jure familiaritatis dicitur mutata, &
non amplius eſſe in conſideratione; & talis mutatio fie-
ri potuit mediante legis miniſterio, ſine facto hominis.
26 Hactenus Meichſnerus, pro hac ſententia citans Bald.
in L. pen. C. de Pignor. act. Socin. Sen. *Vol.* 1. *Conſ.* 131. *n.* 3.
Franciſ. Curt. *Jun. Conſ.* 168. *n.* 36. Quæ eadem verba
quoque ſine mutatione habet Adrian. Gylman. *Symphor.
Cam. d. Tit. 7. n.* 169. ubi addit; quod morte Patris, tan-
quam cauſa extrinſeca accedente, cenſeatur ſibi filia cau-
ſam poſſesſionis, quam jure familiaritatis eo adhuc vivo
habebat, ſtatim in ipſo momento mortis ejusdem mu-
taſſe, de nulla ſcil. in aliquam, de ficta & abuſiva in ve-
ram, de minus efficace in fortiorem & validiorem. Id
quidem dubium videri poterat: An filius ſine actuali ap-
27 prehenſione manendo in poſſesſione bonorum paterno-
rum, eam actualem faciat? Cujus quæſtionis difficultas
exinde augetur, ſi inquirendum prius, an poſſesſio bono-
rum paternorum in liberos continuetur, adeo ut hi nova
apprehenſione opus non habeant, quam quæſtionem
accuratisſimè reſolvit. Dn. Johann. Eichel. *JCtus Helm-
ſtad. in Diſp. ſua inaugurali, de tranſitione poſſesſionis in
heredes theſ. 11. ſeqq.* Ego tamen non opus eſſe exiſtimo,
ut in illa quæſtione decidenda me detineam, de qua vi-
deri

deri etiam poteſt integrum Conſilium *Uldarici Zaſii* quod refert Laurent. Kirchov. *Vol.1. Conſ.*11. Sed ego ſaltem quæro de tali caſu, ſi filius poſt mortem patris in bonis paternis maneat, an ita ſubſiſtendo in bonis, eadem adminiſtrando, non tamen declarans quo animo id faciat, videatur actualem poſſesſionem apprehendiſſe, & illam quam vivo patre jure familiaritatis habebat, mutaſſe? Quod affirmandum puto. Eſt enim hoc caſu filius in poſſesſione, gerit actus poſſeſſorios per realem bonorum adminiſtrationem, titulum posſidendi habet, ex jure Patris ad ſe devoluto; Quamvis ergo non dicat vel verbis declaret, ſe ſuo jure posſidere velle, tamen hoc ex ipſo facto, & tituli certitudine ſufficienter colligi poteſt, ex quo, qua mente quis posſideat, ſeu apprehenſio poſſesſionis proprio nomine, facilè colligi poteſt. Ubi enim de ſcientia novi tituli ſatis conſtat, etiam nuda detentatio ſufficit ad poſſesſionis familiaris immutationem. Ludov. Poſt. *de Munuten. Obſ.54. n.29.* Unde & manutentio tali caſu impetrari poteſt. Poſt. *d. Obſ.54. n.29.*

Huc commodè referri poterit celebris illa Sprinzenſteiniana & Rechenbergica controverſia in omnibus 28 ferè Germaniæ Academiis ante 60. annos ventilata. Videlicet ipſe Illuſtris Baro *Dn. Johannes Erneſtus à Sprinzenſtein* in matrimonio habebat filiam *Dn. Johannis Georgii à Rechenberg*, ad quem decumbentem & ægrotantem animo ipſum inviſendi in Caſtrum Wartenberg una cum uxore ſua venit: Eo verò præſente, cum decederet Socer, ipſe *Dn. à Sprinzenſtein* nomine uxoris ſuæ poſſeſſionem arripuit, partim ob prætenſam teſtamenti nullitatem, partim ob alias cauſas & prætenſiones. 29 Hic contra *Dn. à Sprinzenſtein* quam maximè urgebatur: quod illo tempore ingreſſus fuerit caſtrum

ſtrum Wartenberg, ubi nullum animum nullamque co-
gitationem juſtam & honeſtam habere potuit acquirendi
poſſeſſionem, utpote nondum vacantem: Itaque cum
ex familiaritatis cauſa Caſtrum vel fundum ingreſſus fue-
rit, nullam exinde poſſesſionem trahere potuiſſe, uti re-
ſpondit *Facult. Jurid. Roſtochi. apud* Dn. Cothmann. *Vol.*
30 5. *Conſil. 15. n. 8.* Sed ad hoc ita reſpondit *Facult. Jurid.*
Ingolſtad. apud Cothmann. *d. Vol. 5. Conſ. 5. n. 28.* quod
quidem Dn. Baro de Sprinzenſtein toto illo tempore, quo
jure familiaritatis in fundo fuit apud amicum vel Soce-
rum, non potuerit posſidere; Mortuo autem amico &
ſic poſſesſione vacua, recte posſidere cæpiſſe, ex ratione
jam dicta. Quam ſententiam approbavit Dn Matthias
Polenius *in Conſil.* quod itidem refert Dn. Cothmann.
31 *d. Vol. 5. Reſp. 10. n.* 411. ita ex Dd. concludendo: Quod is
qui initio jure familiaritatis amici fundum ingreſſus, aut
inhabitavit, ex cauſa extrinſeca ſuperveniente, puta quia
amicus decesſit, & ſuccesſio inhabitanti delata eſt, cau-
ſam habitationis vel ingreſſus mutare, & veram poſſesſio-
nem acquirere posſit; pro hac opinione præter ſuperius
allegatos citans Modeſtin. Piſtor. *Lib. 1. Conſ. 40. n. 38.* Dec.
Conſil. 232. n. 2. Ludov. de Caſan. *Conſ. 10. n. 195. ſeqq.* quæ
omnia ex ſuperioribus facilè decidi poſſunt; quanquam
32 non diffitear, cauſam illam Sprinzenſteinianam exinde
maximam difficultatem habuiſſe, quod REUS Dn. à Re-
chenberg negaverit, titulum ex morte Soceri in ipſum
generum devolutum eſſe; quod tamen ego antea præ-
ſuppoſui, tunc ſc. morte mutari poſſesſionem jure fami-
liaritatis, quoties ex morte certum jus in illum transfer-
tur, qui in poſſesſione hactenus familiaritatis jure exiſtit.
Ex his ipſis æquali negotio cæteræ controverſiæ,
33 quæ

quæ circa immutationem possessionis familiaris occurrunt, deduci possunt. Sic amicus, amici fundum familiaritatis jure detinens, mortuo amico cujus erat fundus, desinit jure familiaritatis possidere, cum mors familiaritatem solvat. Decius. *Consil.400.n.5.* nec ipse sibi causam possessionis mutare valet, nisi ab amico heres institutus esset, vel illi ab intestato succederet sic enim justum titulum mutandi possessionem consequitur, ex rationibus antea adductis.

Hoc tamen Conclusionis loco adhuc subjicio: An 34
si quis longissimo tempore jure familiaritatis fuerit in fundo, sibi ob lapsum tanti temporis causam possidendi mutaverit, vel per præscriptionem contra familiaritatis
jus, rem illam ut propriam defendere potuerit? Et hoc 35
negandum existimo. Nam ubi nulla possessio adest, ibi quoque nulla præscriptio; Jam verò ex *L. qui Jure familiaritatis. 41. ff. de Acquir. Poss.* patet, quod in familiari
possessore nulla adsit possessio. Adduci etiam hic po- 36
test *L. non solum. 33. §. quod vulgo 1. ff. de Usucap.* ubi respondet Julianus illam vulgatam regulam, neminem sibi posse causam possessionis mutare, totiens veram esse, quoties quis scit se bona fide non possidere, & lucrifaciendi causa tamen incipit possidere. Hoc vero contin-
geret in illo qui jure familiaritatis est in fundo. Hanc 37
sententiam comprobat Henric. Klock. *Vol.1.Cons.29.n.564 & Consil.50.n.253.* quando de præscribente jus aliquod incorporale, dicit, ipsum probare debere, se illo usum fuisse jure servitutis, non amicitiæ vel familiaritatis; Et ex *Felino* subjungit: quod re aliena utens simpliciter, censeatur uti jure amicitiæ & nunquam præscribere, ne quidem spatio temporis, cujus initii memoria non exstat.

Klock. *d. l. citans* Cavalcan. *Decis.3. n.6. & 55.* Hondedæum *Vol.1. Consf.79. n. 49. seqq.* quod intelligendum puto juxta illa, quæ superius cap.3. notata, scil. si de jure unius & amicitia ac familiaritate inter ipsum & possessorem antea constet.
38 Huc spectat etiam decisio Carpzov. *P.2. Const.4. def. 14. in fin.* qui fundo alterius jure familiaritatis usus est, ne quidem per mille annos servitutem acquiret, per *L. 1. §. Aristo 13. ff. de Aqua quotid. & æstiv.* Cæpolla. *Tr. de Servit. P. 1. cap.10. pr.* Et exinde col-
39 ligunt; Jus compascuorum, utpote ex jure familiaritatis oriundum, nullo unquam tempore præscribi. Dn. Johann. Köppen *Decis.* Part. 1. *Q. 12. n. 9.* Nam quæ hac ratione fiunt, quantocunque tempore fiant, planè non præjudicant. Klock. *Vol.1. Consil.21. n.97. seqq.* Molinæus *ad Consvet. Paris. §. 1. Gloss.4. n.14.* His ipsis vero quæ jam
40 dicta sunt, non obstant illa, quæ supra *cap.3. n.41.* notavi, scilicet quod ex multiplicitate actuum & continua possessione excludatur præsumptio familiaritatis. Post. *Observ.54. n. 20.* Hoc enim tunc saltem procedit, si aliquem jure familiaritatis in possessione esse non constet, sic enim ex longa possessione præsumptio oritur, quod proprio jure possideat. Ego autem in præsenti de tali casu quæro; quando constat aliquem jure familiaritatis fundum esse ingressum, an ille ob longum tempus causam possidendi sibi mutasse censeatur, & ita præscriptionem allegare possit? quod negatur, cum & bona fides & justus titulus possidendi proprio nomine hic deficiant. Nudus enim temporis lapsus nullum jus possidenti tribuere potest, unde non immerito impium præsidium vocavit Imper. in *Nov.9. Proœm.* si quis in tempore saltem se fundet.

At-

Atque hæc ſufficiant quoad jura familiaritatis quatenus circa poſſeſſionem uſum habent. Reliqua quæ ad familiaritatem referri poterant, data opera omitto, ne in vulgatam illam de Amicitia materiam, ab aliis diſputatam, ſed à mea intentione plane ſeparatam, incidam. De cætero B. L. ex voto vale, & pro candore & familiaritate tua candidè & familiariter, ſi familiaris es, prout in exordio rogavi, hæc interpretare. Ego uti hoc, quod aliis hominibus familiare eſt, à me alienum non puto; ita à te in ignoſcendis & ſupplendis, quæ fortè deſiderari poterant, æqualem humanitatem exſpecto.

Deo Soli Gloria.



AD

NOBILISSIMUM ET CLARISSIMUM

Dn. Martinum Christophorum Gerdes,

J. U. DOCTORANDUM,

Et sic Astrææ, GERDESI, quæris honorem,
Digno exantlato laude labore, novum.
Ostendis, fuerit Tibi quantò exculta Themista,
Puncta celebrati juris amica tuens.
Inde patent ampli Tibi campi dulcis honoris,
Inde Tibi defert oscula grata Themis.
Filius esto meus dignus GERDESIUS, inquit:
Doctoris splendens hoc diadema gerat.
Gratulor hoc de præclaro decoramine, ritè
Quod Tibi decernit jam Viadrina Themis.
Est ut amica Dice Tibi fulgens; sic ut amicus
Sic Jovæ atque piis sis patriæque precor.

gratulabundus



scribebat

JOHANNES BRUNNEMANN, D.